


ANNALIUM

AB ORIGINE

LUCENSIS URBIS

VOLUMEN QUARTUM

BARTHOLOMAEI


BEVERINII

ANNALIUM

AB ORIGINE

LUCENSIS URBIS

Volumen Quartum



LUCAE

TYPIS FRANCISCI BERTINII

MDCCCXXXII

LIBER XII.

BREVIARIUM LIBRI.

Carolus VIII. in Italiam descendit. primi Florentini ejus arma sentiunt. Lucam magna pompa intrat. XL. millia dono illi data. Pisas in libertatem asserit. Pisani consilium pecuniamque a Lucensibus petunt. gemmas crucemque auream oppignerant. Rex Ignosi arcem tradi sibi postulat. Regno neapolitano potitur. Trans alpes iterum redit. Lucam iterum accedit. pugna memorabili apud Forum novum victor. agitur de mutando Aesaris alveo. Antracius regis praefectus Feroniae fanum Lucensibus reddit. primoribus ejus oppidi civitas data. Pisani adiuti. Maximilianus imperator Pisas venit. eas Florentini bello urgent. Carolus rex moritur, cui Ludovicus XII. succedit. apud eum Florentini de Lucensibus queruntur. consiliarii illius auro empti. Respublica XVIII. viris permissa. Fanum Feroniae regis praefecto traditur. Ludovicus Sfortia dominatu mediolanensi exuitur. Fanum Feroniae tertio Lucensibus Galli vendunt. Maximiliani imperatoris a senatu postulata. Caesar Borgia Lucam Senasque sibi destinat. Morte Alexandri patris consilia ejus fracta. vectigalia adversus fraudes publicanis ex dimidia parte vendita. Tabellaria lex revocatur. Galeottus Franciottus cardinalis creatur.

Florentini in Lucenses bellum parant. Troilus Sabellus cum hastatorum turma mercede conductus. consilium Pisanis de postulatis Florentinorum datum. foedus cum Genuensibus Senensibusque, in favorem Pisanorum ictum. Elisaei Meliores caedes. foedus cameracense in Venetos. Florentini lucensem agrum depopulantur. Respublica VI. viris permissa. foedus cum Florentinis ictum. qui paulo post proditione Lucam tentant. controversia de Granio monte. Julius pontifex maximus senatum de foedere appellat. item regulus ferrariensis. Concilium pisanum adversus Julium. ea causa urbi sacra interdicta. pugnae ad Ravennam infelix exitus. Praefectura camporagiensis ad Lucenses redit. Leo X. creatur. Florentini in lucensem agrum excurrunt. Leo inter Florentinos Lucensesque arbiter. ejus de Feroniae fano judicium. Novocastrensium perfidia. Franciscus Trenta impietatis damnatus, ac paulo post supplicio affectus. Franciscus I. Ludovico in regnum Galliae succedit. patrocinium Lucensium recusat. Apenninicolarum discordiae. Leo Laurentium Medicem Etruriae imponere molitur. Lutherus, ejusque vaesania. Florentini Lucae insidiantur. Laurentius Medices moritur. Leo Pisciam, regionemque adjectam a lucensi episcopatu divellit. Carolus V. Maximiliano succedit. Lucensium patrocinium suscipit. Leo repente extinguitur. illi Adrianus VI. succedit.

Continet acta XXVII. annorum.

ANNALIUM

AB ORIGINE LUCENSIS URBIS

LIBER DUODECIMUS

Aderat interim annus a Christo nato 1494. Gallorum in Italiam adventu, aliisque quae eam expeditionem consequutae sunt, rerum conversionibus memorabilis . quippe Carolus rex, qui jam ante Ludovico patri successerat, juventa ferox, gloriaeque avidus; ut rudimentum militiae insigni aliquo facto nobilitaret, avitum genti Neapolitanorum regnum, terra marique aggredi statuerat. auctores illi ejus cupidinis, qui eum pro arbitrio agebant Stephanus Belcarius et Gulielmus Brissonettus (1), nulla pacis aut belli arte clari: quorum consilio, seu magis imperio, qui usu rerum peritiores erant, frustra reclamantibus; nulla satis ad tantam belli molem provisa re; non com-

(1) Argentone .

meatibus, non impedimentis, non armis; in summis pecuniariae rei angustiis nimius animi juvenis cum universo regni flore, superatis Alpibus, eo quo Annibal quondam itinere, Italiae se superfudit. Accessere ex ipsa Italia stimulatores: hinc Neapolitani proceres, tum novarum rerum studio, quarum avidissima ea gens: tum odio in Ferdinandum regem, regnoque proximum Alphonsum, avaritia et crudelitate invisos: hinc ex Insubria Ludovicus Sfortia, dejecto fratris filio dominationi imminens: praecipuus omnium malorum artifex, quae in eum tandem justo Numinis judicio recidere. Nec deerant e sacris hominibus, qui acerba in Alexandrum pontificem ira, cupiditate ultionis, miscere ac perturbare cuncta arderent. pravis hominum consiliis divinae providentiae servientibus: quae ad punienda Italiae scelera, ut olim Gothos Unnosque, barbarorumque alios, ita nunc Carolum Gallosque excivit: imparatos et inconditos, nec ulla alia re timendos, nisi quia timebantur. quo fatali terrore animis omnium correptis, nec ullo obsistere auso, tamquam destinatum sibi regem cuncti accepere: ea felicitate, orbis terrarum victoriis, imperioque olim claram provinciam emensus, ut nihil aliud ei fuerit vincere quam venire. tam fallaci fortunae fide, ut intra vertentem annum regres-

sus sit; difficiliore aliquanto fuga, quam victoria: ferro quo ad vincendum opus non habuerat, fugiens uti coactus. Quae claris ingeniis memorata, nisi quantum rebus nostris innexa sunt, breviter cursimque perstringemus. Descendentem ex Alpibus per Taurinos Insubresque ac Ligures Apuanos in Etruriam gallici belli molem, primi Tuscorum Florentini excepere. rege publice illis infenso, quod cum Alexandro pontifice, ac Ferdinando rege adversum se conspirasse sciebat: privatim vero Petro Mediceo, in quem ut paternae fortunae, ita non prudentiae moderationisque haeredem, superbia atque arrogantia suis invisum. domestici etiam ex eadem familia hostes, criminibus iram regis incendebant. Sed Gallis Sergianum, antiquae Lunae ruinis conditam urbem, oppugnare aggressis, majoris quam pro opinione moliminis opus videbatur: ob imminentem praecipue urbi montis jugo impositam arcem, quam ex locorum situ et munitionibus validam, lucensis Castruccius militari gloria clarus, olim condiderat: qua incolumi parum erat urbem vicisse. plena praeterea periculis res erat; quippe iniquitate locorum inter montes saltusque deprehensos, regionumque ignaros, facile erat omnes ad unum trucidare, si fuissent qui auderent. Sed ea quae

regem ad Italiae cladem vastitatemque fortuna ducebat, parvo negocio ab hac eum difficultate expediit. Nam Petrus Medices, improspero apud suos favore, in eo spem suam ratus, si regis gratiam occupare festinasset, legatos Florentinorum, in quibus erat, praegressus, benigneque exceptus auditusque, non civitatem modo, arcemque lunensem, sed et Feroniae fanum, Pisarumque arcem, ac praeterea Mutronis Labronisque (1) Herculis portus, nec non Librafactam regi concessit. frustra indignantibus Florentinis, quod inconsultis ipsis, eorum imperii terra marique claustra, privatus civis alieni juris fecisset. ob quae deinde hostis judicatus, clam se una cum fratre, qui purpuram cum monachi pannis mutavit, furenti populo subduxit; erga eamdem familiam amoris odiique semper immodico. Luna rex cum exercitu per Feroniae fanum ac Massagrogiam, superato Quosae saltu, Lucam accessit, VII. Id. novembris, magnifice, ut tanta fortuna dignum erat, exceptus. intravit urbem sub vesperam, principe decemvirorum Benedicto Bonvisio cum collegis, omnique nobilitatis flore, ac universa praeterea populi mul-

(1) Livorno.

titudine, spectandi studio extra portam effusa. Ante D. Donati portam, qua subiturus erat, tamquam tutelare ipsum Lucensium numen venienti occurreret, ara excitata, cui iconicum S. Vultus simulachrum, Matthaei Civitalis arte, impositum spectabatur. Viae per quas transiturus erat, coronis frondibusque instratae cernebantur; festisque plaudentium vocibus, ac laeto carmine, quo regis laudes celebrabantur, personabant: variis praeterea signis ac emblematis, interjectis Gallorum regum subinde insignibus ornatae. Arcus quoque ad forum, antiquo triumphantium more extructus erat, adjecta inscriptione, qua, vincendi celeritate, Julio Caesari non falso aequabatur. ea pompa ad basilicam martinianam, adjectasque pontificum aedes deductus. ibi ea nocte quievit. Sequenti die in sacello S. Vultus, qui praesenti monstratus est, sacris interfuit, regia majestate caelesti regi inclinata. divino etiam Christi corpore refectus, cum imaginem tantum adorare satis non habuisset: raro et regis et juvenis, inter arma et gladios exemplo. Lucae agenti Florentinorum legatio praesto fuit; cujus princeps erat Hieronymus Savonarola Praedicatorum ordinis monachus, vir ardenti facundia, et ad concitandos vulgi animos maxime accomodata. Is tum eloquentia,

tum probitatis opinione, et quod eventura cernere animo putaretur; tantam sibi, licet exterus homo, in ea republica auctoritatem paraverat, ut angustis illis asperisque temporibus, una spes salusque rerum, popularis factionis hominibus putaretur. praecipue Mediceorum factioni adversus, quod illi demum exitiosum fuit. tam diversis de illo, maxime post sumptum ex eo supplicium hominum judiciis: ut aliis impostor, quietisque publicae perturbator; aliis sanctus, et innocens, invidiaque partium oppressus putaretur. Decreverat rex Florentinorum legatos non audire, ne sententiam de iis imperio suo adjungendis mutare cogeretur: ratus sibi pronius ad caetera iter fore, si praepotentis Etruriae populi victoria, obsistendi spem aliis ademisset. Sed religione hominis motus, et quod fama vulgatum erat, eum saepe in concionibus, magni regis invictique exercitus adventum e transalpinis partibus, ad punienda Italorum scelera, divino afflatu praedixisse: eum se, ut erat, videri volens, legationem admisit, benigneque in speciem audivit: nullo certo responso, sed ambiguis verbis, ex quibus bonum erga se regis animum, quod maxime cuperent, creduli interpretarentur. manenti in urbe lautia regio apparatu, commeatusque exercitui large praebitus: abeun-

temque eodem comitatu prosequuti cives, humanitate ac obsequio laetum amicumque dimisere. Cum eo missus Joannes Marcus Moncigolus, quem Medicem appellabant, qui ejus lateri haereret. Praeter sumptum, quo in excipiendo rege onerata civitas est, largitione quoque aerarium exhaustum. quippe ei mutuo pecuniam poscenti XL. aureorum millia dono data: partim e publico, partim e privatorum fiscis, qui reipublicae, aequo ipsius tempore reddendos nummos commodavere. sponte singulis opes suas offerentibus, cum eam largitionem e republica esse omnes intelligerent. praecipue cum spes injecta esset a regiis ministris, de Feroniae fano restituendo, quod in rem postea collatum memorabimus.

Digressum Luca regem VI. Id. novembris, Pisani excepere; apud quem sequenti die cum per Simonem Orlandium, qui ejus consilii auctor fuerat, Florentinorum injurias questi, regiam misericordiam opemque malis suis implorassent; excepta temere ejus voce, tamquam liberos esse jubentis, tanta repente laetitia omnes incessit, ut veluti limphati tota urbe discurrerent, libertati acclamantes. nec quicquam propius factum, quam ut Florentinorum insignia solo affligerent, aut in amnem dejicerent. pulsis contumeliose praefectis, penes quos

urbis imperium erat, Florentinisque omnibus, ne feminis quidem puerisque exceptis: qui omnes uno agmine, ut ad amicos Lucam concessere. nec temperatum caedibus foret, nisi regis auctoritas intervenisset (1). Per hunc modum Pisani post acerbam octoginta septem annorum servitutem, rempublicam recuperavere: brevi eo gaudio fruituri. receptae libertatis nuncio, statim missis legatis vicinos Lucenses implevere: orantes ut pecuniam quammaximam possent, praefectumque cum CCC. militibus in praesidium civitatis patres submitterent. ac ternos praeterea quaternosve ex optimatibus, quorum consilio receptam libertatem, ipsi talium jampridem desueti, servare possent. Admissos in decemvirorum conspectum, ita loquutos ferunt. « Si ex aliorum ingeniis vos » aestimassemus, patres amplissimi, ad quem» vis potius in egenis rebus nostris opem » imploratum, eumdum nobis fuit. Sed insita » animis vestris clementia freti, spem cepimus, » in hoc rerum articulo praesentem fortunam » nostram, quam veterem vestram respecturos; » plusque apud vos valiturum Pisanos habere » supplices, quam olim hostes habuisse. et

(1) Corius.

» profecto eorum, quae in vos peccavimus,
» saevas acerbasque tot annorum crudeli ser-
» vitio dedimus poenas: graviora etiam iis
» passi, quae fecimus. Ita per hos annos a
» superbis avarisque dominis habiti sumus,
» ut injuriae locus non supersit. itaque unum
» vobis fortuna nostra ultionis genus reserva-
» vit, ut benefaciendo ulciscamini. et glorio-
» sum vobis erit aemulam quondam imperii
» vestri urbem, maris regno ac victoriis late
» pervagatam, in afflictis rebus juvisse. nam
» jacentem premere, fortunaeque malignitatem
» onerare, vilissimo cuique licet. at manum
» dare ac erigere, praesertim quem inimicum
» habueris, non nisi magnorum virorum est,
» ejusque qui sit simillimus Deo. Carolus, quod
» jam fama accepistis, calamitate nostra mo-
» tus, impotentes reipublicae nostrae dominos,
» vestrae perpetuos insidiatores hostesque a
» cervicibus depulit, inque veterem libertatem
» asseruit. Vos, patres amplissimi, regium be-
» neficium benignitate vestra cumulate. tueri
» illud non possumus, nisi vos vestris opibus,
» vestris armis, vestris consiliis juvetis. au-
» rum ferrumque avari juxta ac timidi domi-
» nantes ademere. consilium longa servitus ab-
» stulit, dum nihil in commune consulitur,
» et rempublicam, ut alienam negligimus. Ita-

» que id a vobis oramus, quod ipsi in tali re
» praestari vobis cuperetis. pecuniae quantum
» aerarii vestri rationes patiuntur, tantum com-
» modate. praesidium CCC. militum cum spe-
» ctatae virtutis praefecto mittite: artemque,
» qua inter tot bella, totque rerum casus ste-
» tistis, nobiscum communicate: uno aut al-
» tero optimatum misso, a quo ordinandae
» regendaeque publicae rei rationem discamus.
» Date hoc precibus nostris, date communi
» fortunae, qua olim servivimus invicem ac
» imperavimus. date famae gloriaeque vestrae
» in memoriam posteritatis iturae, ejus vos
» libertatis conservatores fuisse, cujus tantus
» rex auctor extiterit ». haec legati. Quibus
benigne responsum, senatum populumque lucensem eorum felicitati gratulari; daturumque operam, ut non tantum verborum officiis, sed re ipsa amicam voluntatem ostendat. Igitur missus statim Georgius Serdarius cum CCC. militibus ad custodiam civitatis: pecuniaeque, quantum aerarii angustiae regia largitione novissime exhausti ferebant, adjectum. de consiliariis responsum satis in ipsis prudentiae sapientiaeque esse: revocarent modo eas artes, quibus olim non tantum Etruriae partem, sed et insulas, ac mare tenuissent. satisfactum etiam in hac parte sociis foret; sed e Ludo-

vici Sfortiae legati, qui in urbe tunc erat, sententia, negatum. quippe imperium Pisarum, quae urbs Insubriae regulis olim paruisset, affectanti; forsitan e re sua minime visum, ut fidelibus consiliis regeretur. Nec toto eo tempore, quo Pisanis libertas mansit, Lucenses pro virili defuere. privatis quoque mercatoribus certatim pecunias conferentibus (1): cum matronae, egregio tuendae libertatis studio, apud eos gemmas unionesque, ac reliquum femineae ambitionis instrumentum deponerent. quo tempore auream Crucem antiqui operis, cum torematis caelaturisque, pretio XV. millium, in urbem venisse crediderim: quae quia, Pisis iterum in servitutem lapsis, redimi nequiverit, infelicis conatus monumentum in martiniana basilica adhuc spectatur. Dum rex Pisis ageret, seu sponte seu alicujus admonitu, quasi Lucensium fidei nimium cito credidisset, Benedictum Adamium qui illi a consiliis erat, cum literis ad senatum misit, humanissime scriptis, quibus patres « *magnos carosque amicos* appellabat: significans, gratum sibi fore, si quae legatus ejus nomine posceret, impetrasset. Is coram exposuit, cupere regem tradi

(1) Jovius.

sibi tamquam amicitiaeque, fideique obsidem, arcem Ignosi montis jugo impositam, militarique viae in Liguriam ducenti imminentem: ubi Italia excessisset cum fide redditurum. quodque praesenti animo excidisset, orare ut in ejus gratiam apertis custodiis nexi emitterentur. inde Italiae libertatem auspicari velle, quam gravi jugo pressam, e crudelium dominorum manibus ereptum venisset. Utrumque impetravit. statimque aperti carceres vinctos emisere: ac missi Joannes Guinisius et Nicolaus Tegrimus, qui arcem regio praefecto traderent: quae deinde, gallico praesidio detracto, non sine magna mercede recepta est, cum rex trans Alpes rediisset. Pisis in libertatem vindicatis, rex Florentiam perrexit: quam veluti bello captam, manu elatam hastam praeferens, victoris more intravit. Supremusque ille florentinae reipublicae dies fuerat; nisi audax Petri Capponii consilium ab ultima desperatione profectum, juvenem externarumque rerum ignarum terruisset. Florentia excedentem Senae excepere: quo missi Nicolaus Tegrimus, et Paulus Serfederigus, qui illum Romam usque assectarentur. qua in urbe conciliatus pontifici Alexandro, impensisque illi obsequiis, quae summo sacerdoti a christianis regibus praestari mos est, Neapolim conten-

dit; fuga Alphonsi regis, dein Ferdinandi, in quem Alphonsus regni jus transtulerat, vacuam. cum Ferdinandus senior, qui unus virtute et consilio Gallorum impetus frangere poterat, inter initia hujus anni, in apparatu belli extinctus esset. animi aeger scelerum conscientia: quorum sibi poenas, superis hominibusque consentientibus, adesse cernebat. Itaque Carolus inter faustas acclamationes eam urbem ingressus, flagrantibus in proximos reges odiis, tanta facilitate florentissimo, non Italiae modo, sed Europae totius regno potitus est; quanta nemo unquam parvi alicujus oppidi pagique dominatum obtinuit. ut non ambiguum fuerit, fatis illum ducentibus ad Italiae cladem accitum. Quo successu elatus, tamquam vicisse satis esset; nondum firmatis rebus, sive insita genti levitate, sive fatali consilio metuque ne Italorum armis intercluderetur; quos auctore Ludovico Sfortia, cui non major in alienos quam in suos fides, in se conjurasse icto foedere audiebat; tam tumultuose retro signa convertit, ut IX. Kal. julii sequentis anni (1) Lucam intrarit: ea laetitia pompaque exceptus, qua et regem, et victorem, et amicum decebat:

(1) Ann. 1495.

missis Senas usque ad eum invitandum deducemdumque Nicolao Tegrimo et Paulo Serfederigo. quippe Carolus nihil hostile in Lucenses, nec eundo, nec redeundo molitus. nunc vero tam populariter comiterque egit, ut sub noctem VIII. Kal. julii D. Joannis Baptistae memoria celebrem, festis ignibus in ejus honorem in foro excitatis, cum principibus ducum praefectorumque turbae immistus interfuerit; suaque manu accensam facem pyrae per lusum laetitiamque subjecerit: ut qui praesentes hausere oculis, literis prodidere (1). Hospitium illi paratum in antiqua Trentarum domo ad D. Fridiani: quae nunc quoque tot amplis aedificiis aucta civitate nobilitatem splendoremque retinet. Luca excedens per Apuanos Ligures in Galliam Cisalpinam processit; ubi ad Forum novum (2) Taro amni adjectum oppidum obvio foederatorum exercitu, memorabili edita pugna, viam sibi per subjecta alpibus loca, perque alpes ipsas in Galliam aperuit: fugiendo quam vincendo clarior. Haec est fama literisque gentium omnium celebris Gallorum in Italiam expeditio: qua monstratum est, eam gentem ut alieno timore ferocem,

(1) Pier Santini.
(2) Fornuovo.

ita, si obsistas, pavidam: fatoque illi Italiae ultionem, non imperium destinari.

Dum haec in Gallia Cisalpina geruntur, patres reipublicae curae intenti, cum per Pisanorum a Florentinis defectionem turbatae in Etruria res essent; perque licentiam militarem praedae in lucensi agro agerentur, decrevere, si quis actas in lucensi praedas, intra decimum diem non reddidisset, ut is in quinquennium urbe agroque exularet. decretum quoque ne quis exterae nationis in urbem vicosque urbi continentes domicilii causa migraret. Actum praeterea de mutando Aesaris alveo, ita ut non recta mare per pisanum litus, sed lacum in lucensi, cui a proximo oppido, Massaciuccolo nomen est, ac inde mare influeret. ingens opus juxtaque utile; si naturae vis, et inexpugnabile locorum ingenium passum esset. Revelaverant patres in mentem consilium Florentinorum obruendi urbem agrumque novissimo bello; quod quamvis tunc irrito conatu tentatum, olim tamen alveo alluvionibus aggesto, molibus ad retinendum aquarum cursum oppositis, fieri posse ut feliciori exitu experirentur. unum remedium esse, si fluminis meatus a pisano agro averteretur; ostiumque quo se in mare exonerat, in potestate Lucensium esset. id etiam commodi inde sequi, quod

stagnantibus paludum aquis, quae in eum lacum per fossas influunt, amnis impetu stimulatis, agri citius siccarentur, cultusque patientiores essent. nec opportunius ad eam rem tempus unquam affuturum: pisanis bello occupatis, et spe auxilii prohibere non ausuris. si Pisas libertate ac pace frui, aut quod formidandum sit, in Florentinorum manus venire iterum contingat, frustra ejus operis mentionem alio tempore injectum iri. datum igitur negocium principibus civitatis Andreae Gilio, Nicolais Turretino, Arnulphino, Cenamo, ac Tegrimo una cum Johanne Guinisio: qui adhibitis fabris ejusque artis peritis; conatum immensi operis, nec mortali ausu tentandum retulere. Aesarem divorum manu mutare alveum consuesse. ea via iturum, donec simili prodigio alio duceretur. Major cura recuperandi Feroniae fani patres angebat: qua demum sequenti anno (1) liberati sunt. Praefecerat Pisis, Mutroni, ac Feroniae fano Carolus rex Antracium (2) quemdam e proceribus, gratia aurelianensis reguli, qui postea regnavit, in aula praevalidum. Hic seu regis occultis mandatis, qui fidem suam eundo redeundoque Lu-

(1) Ann. 1496.

(2) Entraghes.

censibus obligaverat; sive causae aequitate motus, quam pecunia apud avarum hominem meliorem faciebat, XXVI. millibus aureorum acceptis, ea oppida arcesque senatui populoque lucensi remisit. professus ea se veteribus dominis per injuriam ablata, ut jus fasque esset, bona fide reddere (1). Tradunt quoque in id connisum mediolanensem regulum, cujus interessat Lucenses hoc beneficio sibi magis obstringere; paratiores ad submittenda Pisanis auxilia habiturum. Quod ubi Florentiae auditum, tantis querelis per oratores suos regis aures implevere, ut invidiae impar, Antracium tota Gallia exulare juberet. qua poena ille paulo post exolutus est: magno Florentinorum dolore, qui cernerent sibi per speciem ultionis illusum. Feroniae fano recepto, ejus praefectura a senatu Joanni Marco Monciglio equiti, ac divini humanique juris consultissimo demandata est: Gregorio Porticu, Sebastiano Turco, ac Petro Nucchello creatis, qui arci praesiderent. duo quoque praefecti cum praesidio militum Mutronis arci impositi. Demerendis quoque Feroniensium animis honos additus; adlectis in civitatem e primoribus Hen-

(1) Guicciardinus lib. 3.

rico Panichio, Joanne Morono, Nicolao Chiarito et Joanne Simonio: e quibus deinde Chiariti in senatum venere. Novis quoque legibus cum feroniensi populo sanciendis, lecti e singulis tribubus decemviri. quibus accipiendis XIII. e primoribus Lucam profecti, cum primo, veluti sponte in fidem reipublicae venissent; et non perduelles desertoresque dominorum ad obsequium revocati essent, ex aequo contenderent; mox tamen obedienter imperata facturos professi, ut a mitibus dominis par erat, leges impetravere. Interim Florentini ea jactura moti, omnia permiscebant. Lucensesque eorum instinctu, praeter gallicam, omnium fere Italiae gentium legationibus fatigati, si quando alias, consilio ac sapientia egebant. primus Florentia Gallus antistes affuit, qui honorifice exceptus, deductusque, pro collegio questus est: « regem Carolum Lucenses amicos sociosque ad eam diem reputantem, opinione sua » excidisse. exceptum quidem eum in urbem » in triumphi speciem, omnique veneratione » habitum: sed regum amicitias sinceritate » ac fide, non inanibus officiis coli. eos qui » Carolo fausta acclamaverint, qui libertatis » parentem servatoremque professi sint, foedus » cum regis hostibus coisse: Pisanos contra » ipsius voluntatem juvare: corruptoque pe-

» cunia praefecto, Feroniae fanum, Mutronemque regis juris oppida avertisse. proinde ni regi satisfactum foret, iratum hostemque experturos, quem amicum pacatumque contemnerent. multaque per superbiam addidit, ni praesertim ea oppida Florentinis pretium cum fide soluturis, dederentur. »
Ad ea Michael Michaelius decemvirorum princeps, antiqua nobilitate, respondit, « senatum populumque lucensem, neminem laedere assuetum, nedum potentissimum, omnisque memoriae clarissimum regem, cujus causa aequa omnia et justa cuperet. de quibus legatus conquestus sit, ea se ad senatum relaturum, brevique responsum ad eum in hospitium usque missurum ». Consulti patres, in hanc sententiam respondendum censuere: » senatum saepius ab Italiae populis de foedere appellatum, fide ac veneratione in regem ea consilia respuisse. si regi contra relatum sit, id ex inimicorum malignitate profectum, qui ejus animum a fidelissimis sociorum alienare cupiant. de Pisanis nihil acturos quod regi displiceat. quod ad fanum Feroniae attinet, bis sibi id oppidum a rege promissum, bis praesenti auro redemptum. nihilominus se illud regis nomine tenere, nec cuiquam mortalium prae-

» ter quam ipsi tradituros. interim legatos
» missuros, qui coram regi satisfaciant do-
» ceantque lucensem populum nulli italicarum
» gentium fide ac veneratione in eum concede-
» re ». dimisso cum his legato, supervenit a
Ludovico Insubrum regulo orator, qui ejus nomine significavit, eum rerum suarum statum esse, ut sua plurimun referret, si ad tempus Feroniae fanum Genuensibus redderetur. quippe Genuenses, qui ei oppido imminebant, praeventos se a Lucensibus indigne ferentes, regulum ea de re appellaverant: armis etiam jus suum persequuturos professi, si auctoritas minime valuisset. quibus placandis Genuam missus Nicolaus Tegrimus. nec illi ultra querelas minasque ausi, regulo cui eam injuriam ferebant acceptam, iras servavere. nec a Florentinis, Venetis Senensibusque cessatum, quin de restituendo florentinae reipublicae oppido eadem obtruderent. quos patres nullo certo responso, per officia verborum frustrati, irritos dimisere. Missi tamen Joannes Marcus Medices et Joannes Guinisius in Galliam, qui regi satisfacerent. nullo credente, quamquam aliter in speciem jactaretur, ea invito rege Antracium fecisse. Legati benigne a rege excepti auditique, domum revertentes nunciavere, Carolum quae de Feroniae fano ac Mutrone

acta erant probavisse, petere tamen, ut si quando ita rebus suis expediret, ea oppida cui ipse jussisset, in tempore restituenda traderentur. Pisanos juvari a regis mente minime alienum. cupere tamen id quam occultissime fieri, ne Florentinis querelarum causae praeberentur. quae ubi patribus nunciata, omni ope deinceps Pisanorum libertati consultum: qua iter commeatibus subsidiisque liberum praebendo, qua commeatuum, pecuniaeque auxilia submittendo: haud quidem Florentinorum odio, ut quidam tradidere (1); sed quia ita expediebat: Mutronemque ac Feroniae fanum retinere cupientibus, Pisanos magis quam Florentinos finitimos habere utile erat. eo studio Maximilianum imperatorem, qui fine hujus anni in Italiam a regulo mediolanensi accitus, per Lucensium maritimam oram, Pisas cum exercitu venit, praebitis large commeatibus juvere. nullo tamen ejus expeditionis fructu, quamquam magnae de ea spes ante conceptae, ingentem expectationem fecissent. Pisanis ad ejus adventum tanto gaudio elatis, ut etiam Gallorum insignia dejicerent: Carolique obliti, eum liberatorem servatoremque urbis laetis ac-

(1) Jovius, Argentonus, Guicciardin.

clamationibus salutarent. redeuntem in Germaniam caesarem, murisque urbis adequitantem patres invitavere, ut fidissimam imperio romano civitatem, multorum caesarum exemplo, praesentia sua augustam laetamque facere vellet: nec tamen impetratum; illo, pudore irriti incepti frequentiam vultusque hominum vitabundo. Et quidem nulla se oculis populorum ostentandi Maximiliano causa erat: ex ea provincia quam Galli paulo ante triumphantibus magis quam bellantibus similes lustrassent, inglorie ac inhoneste revertenti. quod usque eo etiam ipsi cognitum, ut minaciter per iram jactare auditus sit, se imperatorem in Italiam rediturum, quam, sociorum auxiliis nimium confisus, venatoris habitu intrasset. Ejus discessu Pisanos maximis malis implicitos Florentini contumaci saevoque bello urgebant. quare rerum suarum desperatione, quidvis potius quam Florentinorum jugum iterum passuri, Venetis reipublicae imperium detulere. a quibus missum praesidium, perque Livianum ipsorum ducem quaedam Florentinorum oppida bello capta: ut eos a Pisarum obsidione rerum suarum tutela converteret. Sequenti anno (1)

(1) Ann. 1497.

nihil memorabile gestum, nisi quod patres suspensi et anxii, ne proximi belli contagio aliquid respublica detrimenti caperet, in omnem partem circumspiciebant. Is qui sequutus est annus (1), Pisanis Venetorum auxilio desertis, ut queis longe a domo bellandum erat, curas senatus intendit: cum Florentini potiundae urbis spei admoti, ejus amicis palam minarentur. eo magis quod civitas domesticis hostibus laborabat, quorum indicio publici consilii arcana prodebantur. quippe hoc anno Franciscus Guidiccionus avita nobilitate, causa per censores cognita, convictus quae Mediolanensium regulus silentio praemenda senatui scripsisset, seu levitate ingenii, sive falsa spe ductus, Florentinis prodidisse, in Siciliam relegatus est. quae poena ei deinde clementer remissa, ac intra L. ab urbe agroque milliaria abesse jussus, dum ne in Florentinorum imperio esset. Eodem anno ne, ut rerum humanarum mos est, leges incuria aut vetustate obsolescerent, creati primum triumviri qui legum custodes appellarentur: abrogatumque quicquid pravis moribus adversus leges hactenus vulgo peccatum fuerat. satis comperto respu-

(1) Ann. 1498.

blicas et imperia cum legum custodia stare aut cadere. Idem annus novi belli metu Italiam liberavit, Carolo in flore aetatis, non immatura modo, sed et repentina morte extincto: quem gloriae famaeque avidum, in medio armorum apparatu, alpesque iterum traijcere meditantem, fatum oppressit. cujus morte ad Ludovicum aurelianensem regulum, regni lege Galliarum imperium delatum est. Sed non diu in Italia ab armis Gallorum quietum: ac morte Caroli non discussum sed dilatum bellum, sequenti anno (1) acrius incubuit. quippe novus rex, non tam inveterato gentis in neapolitanum regnum, quam recenti aurelianensis domus, unde ortum ducebat, in Insubriam jure; cujus imperium aviae Valentinae haereditate ad se pertinere existimabat: regni sui primordia ab italico bello auspicatus, hoc anno in Italiam descendit; icto foedere adversus regulum cum Venetis ac pontifice Alexandro: qui regis amicitiam magnitudini Borgiae familiae, quam in Caesare mortalium omnium nequissimo, potentiae regum aequandam susceperat, conducere arbitratus; privatam utilitatem publicae tranquillitati praetulerat. Deo

(1) Ann. 1499.

etiam reguli perfidiam ac scelera ulcisci meditante: non obscura divinae providentiae arte, ut ejus gentis manu imperium vitamque mox amitteret, quam ipse ante ambitione ad turbandam Italiae pacem excitam, insigni proditione post deseruerat. cujus tanta immanitas fuisse dicitur, ut in hac rerum desperatione, cum se undique septum meritis odiis cerneret, missis legatis Turcarum imperatorem in auxilium acciverit: satius esse arbitratus lacerandam barbaris Italiam offerre, quam christianis principibus remittere. in quod consilium consensisse etiam Florentinos Venetorum odio, apud quosdam reperio. adeo vecors et caeca est regnandi cupido, ut ubi semel animum invaserit, nihil inviolati, nihil sancti esse sinat.

Occupaverant inter initia regni Florentini novi regis animum, solitis in Lucenses querimoniis; fraude ab iis Feroniae fanum teneri; quod a Petro Mediceo Carolo regi traditum, ipsi pecunia corrupto Antracio, dominationi suae adjunxissent. quare nihil propius factum est, quam ut rex conciliandi sibi Florentinorum studia cupidus, significaret gratum sibi fore, si Feroniae fanum ipsi traderetur. quod ubi a patribus acceptum, statim in Galliam misere, qui regem aequitatis admonerent: docerentque » Fanum Feroniae a Lucensibus con-

» ditum, coloniae jure ad eos pertinere. dolo
» ipsis ac proditione a Genuensibus ademptum,
» ad Florentinos bello pervenisse: qui datam
» reddendi fidem nunquam exolvissent. bis
» deinde emptum: prius a Carolo, mox ab
» Antracio, supra LXVI. millia aureorum ste-
» tisse: proinde orare, ut quemadmodum tan-
» tum regem par esset, tam bonae causae fa-
» veret: decessorisque sui mentem animumque
» in Lucenses sumeret; quando ipsi mutato
» rege fidem non mutassent ». Haec apud re-
gem legati: quem parum aequum rebus suis futurum patres non falso ominati; praecipue Insubria in potestatem redacta, reguloque antea pulso, mox in custodiam tradito, et in Galliam abducto; colligendae pecuniae (quod unum invictum belli genus est) intenti, qua tum regem, tum magnatum aliquem, qui illi a consiliis essent, sibi conciliarent: ad XL. aureorum millia intra sanctius aerarium, quod Tarpejam vocant, reposuere: VI. viris creatis, qui ea erogarent, prout e republica censuissent. Decretum quoque ut continentes urbi vici, ab occidente ac meridie muris clauderentur: creatique XVIII. viri (quoniam ob pestilentiae metum aegre patres in curiam cogerentur) cum summa potestate; praeter quam minuendi imperii; penes quos belli pacisque

arbitrium esset. Missi quoque Mediolanum legati ad regem salutandum Joannes Marcus Medices ejus temporis Cato, Laurentius Datus, Jacobus Benedictus, et Nicolaus Cenamus: jussique ad evitanda belli incommoda, de Feroniae fano, quemadmodum e republica visum esset, cum eo transigere. qui tandem conciliante Ambosio (erat is e purpuratorum numero regi in primis carus) ita rem constituere, ut oppidum non Florentinis sed regi traderetur; ita tamen ut jus ibi lucensis magistratus diceret: missusque e ducibus Beaumantius, qui regio nomine reciperet. a quo statim creatus praefectus Nicolaus Cenamus, qui pro rege illud obtineret, jusque populo diceret. postulante etiam rege sancitum, ut ei pisanis bellum inferenti, Lucenses cum auxiliaribus copiis praesto essent. Missus quoque Venetias Nicolaus Tegrimus oratum, ut amicae urbi apud regem faverent: nec Florentinis haurire omnia cupientibus, optimo jure possessum oppidum, dominationisque lucensis claustra, praedae esse sinerent. Ita de Feroniae fano eo tempore transactum; tribus populis de illius imperio tanta animorum contentione certantibus; insigni praeterea duorum regum ambitu, tamquam in eo salus publica verteretur. quod deinde a regiis praefectis L. millium francicorum

pretio redemptum. atque ita ter emptum oppidum caelo grave, palustri ac maligno solo, et incolarum perfidia infame: nec ulla re nisi opportunitate situs aestimandum. Urgebantur interim gravi bello Pisae: cujus belli occasione Florentini Thomam Capponium Nerii filium Lucam legationis specie miserant: custodem exploratoremque eorum, quae in favorem Pisanorum fierent. nec cives aliter eum aspiciebant, cupiebantque illum a latere reipublicae removere. quare noctu ab iis quibus praecipue ea custodia gravis erat, per insolentiam lasciviamque legati fores fimo lutoque oblitae, qualiter in eum civitas animata esset patefecere. quod cum mali moris, ut erat, patres censuissent; auctoribus gravi edicto increpitis, praemia statuere ei qui indicium detulisset. neque tamen quicquam compertum, factique improbi conscientia intra auctores stetit. Insequens annus (1) saeculari religione christiano orbi celebris, bellorum ardorem pietatis sensu non extinxit; captis semel dominandi libidine animis, omnem alium affectum excludentibus. tamen inter tot scelera, quae belli mars secum trahit, praeclarum illud divinae ultionis spe-

(1) Ann. 1500.

cimen eluxit; hoc demum anno Ludovico mediolanensi regulo, una cum Ascanio e numero purpuratorum, caeterisque fratribus capto, et in Galliam abducto: ubi carceri inclusus, ibique demum extinctus est, superbia et ambitione, cui impar orbis videbatur, dignum exitum tulit. Lucensibus finitimi belli contagione, non omnino quietis esse licebat. quippe vel milites, qui in obsidione Pisarum erant, palantes agris damna inferebant; aut transitu, et aliquando etiam stativis Gallorum, non parum incommodi accipiebatur. eoque anno cum copiae Mediolano a rege submissae, ad D. Petri fanum pontemque castra posuissent, certatum cum praefectis Florentinorum: illis quod in Lucensi exercitus esset, commeatus praestari a senatu oportere: nostris contra, has eorum partes esse in quorum auxilium venisset, tendentibus. donec regis magis quam Florentinorum respectu, Lucenses large commeatus praebuere, quousque in Lucensi exercitus mansit. neque tamen in illo armorum metu, pestilentia insuper terrente, ac aerario tot impensis exhausto, a publicis voluptatibus cessatum. cum enim bis ad senatum relatum esset, de omittendis eo anno certaminibus cursorum, festo Exaltatae Crucis die ad populi laetitiam institutis: pecuniaque in victores impendi so-

lita, salubrius collocanda, nihil pervinci potuit: majorque ludorum quam reipublicae cura patribus fuit. Honestius bonis artibus fovendis, sequenti anno (1) liberalitas impensa, graecis latinisque literis juventuti imbuendae Petro Noceto in civitatem evocato, quem celebrem oratoriae artis professorem ea aetas tulerat. magna eorum accusatione, quibus in hac pace ac tranquillitate reipublicae ad caetera profusis, unae literae graves sunt. Novam praedam Gallis ex fani Feroniae Mutronisque licitatione idem annus tulit: qui jam tertio illa oppida dominis vendidere. Erat apud Ambosium Mediolani praefectum, quem ab ejus urbis sacerdotio Rhotomagensem appellabant, reipublicae nomine orator Joannes Baptista Podius. hic cum datis ad senatum literis scripsisset, Ambosium alias Lucensibus amicum significasse, si tribus pensionibus L. francicorum millia solverentur, se daturum operam, ut ea oppida redderentur, Lucensesque in regis fidem, tamquam socii atque amici reciperentur: patres quamquam iniquis conditionibus, cum toties a superbis avarisque occupatoribus suum redimendum esset, occasione utendum rati, ad eam pecuniam colligendam animum adje-

(1) Ann. 1501.

cere. et primo XII millium collatio indicta, qua ex urbe ac municipiis in publicum ea summa redigeretur. tum in biennium vectigalia ex tertia parte aucta; decretumque ut curationes quaedam, quibus annua ex aerario constituta erant, gratis a civibus praestarentur. datum etiam negocium, ut levandae reipublicae extraordinarii sumptus minuerentur. qua ratione tandem ea oppida in potestatem lucensis populi rediere. quia vero ob insitum in dominos odium Feronienses, quo tempore Galli oppido praesidebant, multa per contumaciam superbiamque in Lucenses egerant, omnique arte connisi erant, ne sub imperium reipublicae reverterentur; frangendis eorum animis multa VI. millium indicta, quam duabus pensionibus, totidem continentibus annis solverent: ac XXV. e contumacioribus intra urbem relegati tamquam obsides; ne quid per proditionem perfidiamque moliri possent. omnique studio provisum, ut ea loca acri custodia servarentur. ferociae quoque minuendae oppidum a reliqua praefectura ex S. C. mox avulsum. His impensis quibus aerarium quotidie hauriebatur, alii sumptus extra ordinem accessere. quippe sequenti anno (1) affuit le-

(1) Ann. 1502.

gatus a caesare, qui pro collegio exposuit: « Maximilianum, cujus majorum beneficio li» beri essent, romanum iter, ut pontificis ma» nu diadema sumeret; ac deinde turcicum » bellum meditari: in utramque rem ingenti » pecunia opus esse. proinde socios amicosque » romano imperio fidissimos orare, ut XXV. » aureorum millia dono sibi traderentur: ac » praeterea quicquid ex piorum hominum col» lationibus solvendarum per indulgentiam pon» tificis noxarum nomine redigeretur. denique » extremum petebat, ut ubi caesar Italiam » intrasset, centenos pedites stipendiis suis pa» tres in annum praestarent ». Ad ea breviter decemviri, se cuncta ad senatum relaturos respondent, daturosque operam, ut quantum in angustis rebus fas esset, obsequii venerationisque erga romanum imperium meminissent. Senatus postulatis caesaris auditis, negocium decemviris, publicique census praefectis dedit ut cum legato transigerent. res ita compositae: ut V. aureorum millia duabus pensionibus solverentur; prima post mensem ab ingressu caesaris in Italiam: altera post mensem ab imperii corona pontificis manu recepta. de reliquis nihil mutatum. Ad aerarii inopiam annonae cura accedebat: cum maligne creatis frugibus, agricolarum spem annus fefellisset. quare da-

tum negocium IX. viris, ut ad XXX. frumenti modiorum millia mari subvehenda per privatos mercatores auctoritate publica curarent, quo mature ingruenti caritati obviam iretur.

Major clades summae reipublicae libertatique, impotentis tyranni cupiditate, ac saevitia temporum imminebat. Erat is Caesar Borgia quem ab ejus urbis dominatu Valentinum appellabant; funestum animal, ac Italiae malo genitum: qui parentis Alexandri, ea labes saeculi fuit, potentia, ac uxore regii Francorum sanguinis ferox, provincias ac regna sibi destinabat. nihil in eo homine moderatum; et dum concupita dominatione potiretur, nulla fides, nulla religio. callidus simulandi ac dissimulandi artifex, plura dolo quam vi adortus, pontificii imperii liberandi specie viam sibi ad regnum muniebat. idem saevus et sanguinarius, ac incestis amoribus maculosus, diversa vitia libidinem et crudelitatem miscuerat, in stupris ipsis cruentus. Sed perfidia eminebat, amicos, hostes, ubi expedierat, perinde arbitratus. nec species oris animo dispar: torvus aspectus, truces oculi ac sanguine infecti, facies lurida, ac atro rubore suffusa: qualesque immanium tyrannorum esse solent mores et vultus. Tale monstrum Lucam sibi Senasque destinabat: Gallorum arma

tum per Italiam praevalida, regiamque affinitatem paternis opibus subnixam, opportuna ambitionis instrumenta ratus. Spoliaverat ille magna ex parte avita dominatione romanae nobilitatis principes: Varanios Camertibus, Feltrium Urbino, Sfortiam Pisauro, Bentivolos Bononia, Malatestas Arimino, Riarios cum Catharina matre Foricornelii ac Forlivii dominatu expulerat. Sed satis gnarus pontificiae cognationis fortunam cum pontificum vita stare aut cadere, mansuram dominationem, nec illorum imperio obnoxiam, sustinendis odiis quae extincto patre undique imminebant, quaerendam rebatur. Eo consilio insequenti anno (1) Senas cum copiis accessit, specioso liberandae civitatis obtentu, quam Pandulphus Petruccius intra civem dominumque, principis imperio regebat. re autem vera, ut amoto custode discordem ac in diversa studia scissam facilius deinde oppprimeret. Sed armis aggredi arduum munitionibus validam urbem, pulsis praecipue diversae factionis hominibus, a quibus fraus timeri poterat. et ipse trepidis nunciis a patre revocabatur, mota per Ursinos seditione, qui ultionis avidi captata ejus absentia res turba-

(1) Ann. 1503.

verant. Tamen, ut infirma sunt tyrannorum ingenia, et in metum prona, Petruccius armorum facie territus, nec suis satis fidens, ita cum Borgia transegit: ut incolumi Lucam abire liceret. eaque de re Borgia ipse literis ad senatum datis patres admonuit, oravitque ut virum principem honeste ac liberaliter etiam sua causa haberent. Sed aliud verborum officiis, aliud animo agitabat; scelesta consilia summa dissimulatione occultare assuetus. quare paulo post percussores in eum L. sicariorum manum Lucam immisit, ea spe, si Pandulphum interfici contigisset, ut metu vacuus statim Senas occuparet: sin vero ipsius satellites caesi forent, justam ultionis causam in Lucenses obtenderet. Sed improbum consilium utriusque populi felicitate discussum. quippe a praefecto Florentinorum latrones circa Pisas comprehensi retentique, patrandi sceleris occasionem amisere. Petrucciusque, quem periculi praefectus admonuerat, cum Pisas concessisset, Lucenses etiam in posterum absolvit. Nec Borgiae alia perficiendae rei opportunitas fuit: patre per ipsius scelus, veneno quod in ditissimos purpuratorum paraverat, Deo pravas artes in auctorem vertente, mox extincto. quem odiis, et iniquiore fama scriptorum oppressum, magnas virtutes magnis vitiis aequasse, qui sine amore ac

invidia de illo scripserunt, verissime tradidere. Eodem tempore nimiae felicitati Borgiae coercendae humana ac caelestia consilia laborabant: sed, ut dictum est, caelestia antevenere. caeterum Ludovicus rex, ut ejus potentiae modum statueret: metuens ne praeferocis ingenii hominem, totque ad fallendum artibus instructum, si earum urbium imperio potiretur, gravem sentiret: misso Francisco narniensi, foedus inter Florentinos, Lucenses, Senenses Bononiensesque moliebatur. cujus mentio Alexandri pontificis morte omissa: cum Valentini opes fractae metum omnem ademisset. defuncta eo periculo civitas, superioris anni malo, annona scilicet, premebatur. quare ei levandae, ne quid avaritiae in publicam perniciem liceret, taxata frugum pretia, quae venditoribus egredi nefas esset. praemia quoque iis qui frumentum in urbem importassent, in singulos modios duo nummi bononienses constituti. simul adversus belli subita, pecunia intra sanctius aerarium reposita, quae non nisi XXXVI. virorum arbitrio moveri posset. Vectigalibus quoque provisum adversum fraudes, ut pro dimidia parte publicanis ac redemptoribus venderentur: cautumque ne agri aut aedes publicae ultra triennium locarentur. Nec minor patribus morum cura, ne civitas per lasciviam

licentiamque difflueret. quare cum cognitum esset quosdam in pervigilio Nativitatis Christi superioris anni, nulla sacrae illius noctis reverentia, per ludum jocumque personatos incessisse: praemia proposita ei qui indicium detulisset. renovata quoque est legis tabellariae severitas: addito adversus paucorum invidiam, ne eorum qui denis tabellis minorem numerum tulissent, nomina in senatu vulgarentur. Hoc anno octobri mense Felinus civitatis antistes fato concessit, clara nominis sui relicta apud posteros fama. Bibliothecam collectis voluminibus insignem, majorum sacerdotum basilicae martinianae collegio legavit: fideique publicae commisit: in qua extant plura ingenii ipsius monumenta adhuc inedita. credebatur ab Alexandro pontifice purpurae destinatus, nisi proxime renunciandum importuna pontificis mors fefellisset. virtute certe ac sapientia meruerat. Felinum excepit Galeottus nobili Franciottorum stirpe, quem novembri mense Julius II. qui post brevissimum Pii III. XXVI. dierum pontificatum Alexandro successerat, Luchina sorore genitum, in ipso aetatis flore purpuratorum collegio adscripserat. cui senatus initio insequentis anni (1), solita civibus ejus fasti-

(1) Ann. 1504.

gii praestari obsequia impendit, mille aureorum addita liberalitate. Sed plura bellum hauriebat. quippe Pisani acri Florentinorum obsidione vexati, sociorum amicorumque fidem implorantes, ni subveniretur, in ultima desperatione, se rempublicam hostibus permissuros edicebant. quare hoc anno supra X. aureorum millia per mensarios genuenses submissa: ut quo occultiora, eo tutiora auxilia essent. Sed Florentinis ad omnia intentis, id per se suspiciosum, ac verosimile suboluerat. unde praecipua in Lucenses ira, minaeque interdum, et per licentiam militum injuriae agris illatae. quare patres praevertendum rati, ne subita aliqua belli tempestas ingrueret; pecuniarum vim colligere undique, urbem, ac urbi continentia aedificia munitionibus firmare; frugibusque ac commeatibus omni ex parte subvectis horrea complere. Missi quoque Genuam legati Bonus Franceschius et Michael Michaelius, ut quae e republica censerent, salva libertate, cum ejus reipublicae rectoribus transigerent. Caesar etiam e Nobilibus Venetias tamquam ad oraculum missus, ut cincta periculis undique, metuque libertatis amittendae civitate, quid consilii capiendum esset in iis rerum difficultatibus, ab amplissimo illo senatu scitaretur. nec tamen aliud inde relatum nisi, « Lucenses per se con-

» silio, ac sapientia pollere: futurosque incolumes, si eas artes retinerent, quibus inter » tot discrimina hactenus rempublicam libertatemque servassent ». honestissimo tanti senatus judicio ne patres deessent, majore quam antea cura diligentiaque reipublicae incubuere. quodque alias experiendo cognitum, ardua ac magna melius per pauciores geri; tutiore etiam quam in turba inter paucos secreto, XXIV. viris in VI. menses rempublicam permisere. conjectis in eum numerum, quibus major sapientiae fideique fama erat. quod molimine suo per tres dies senatum exercuit: dum alii velut impares reiiciuntur, rejecti spretique dolori ulciscendo, alienae gloriae invidia optimos morantur. Eadem causa insequenti anno (1) collatio XX. millium aureorum indicta, intra denos dies redigenda, inque sanctius aerarium recondenda. actum quoque ut, conducendo ad agri custodiam militi, a sacrorum hominum collegiis pecunia mutuo caperetur, quam patres pace reipublicae reddita reponerent: conductusque e romana nobilitate Troilus Sabellus cum LXX. lancceariorum manu: quae Florentini tamquam in se, ac in Pisanorum sub-

(1) Ann. 1505.

sidium comparata accipiebant. missus quoque Senas, Florentiamque Michael Burlamaccus; illo, ut tamquam socios amicosque de republica contuleret: huc, ut Florentinos ob pisanas res iratos infensosque mitigaret. a quo relatum eos infenso, ac atroci animo in Lucenses esse; nisi Mutronis portus, Casolumque lunensis provinciae oppidum eis remitteretur. quae patribus nunciata, eo majorem sollicitudinem injecerant, quo intra ipsius reipublicae viscera malum haerebat. quippe triumviri (1) moribus emendandis ad senatum retulerant, isque in majore civium concilio rem vulgaverat; Hieronymum Francum, qui tunc decemviratum gerebat, saepius Montemcarolum commeasse, occultosque sermones cum Florentinorum praefecto miscuisse: profectumque etiam Florentiam, multa in eo itinere quae suspectum illum facerent, indicia praebuisse. quare decretum ut severe de eo quaestiones haberentur, donec ad liquidum veritas perduceretur. crescebatque in dies Florentinis irarum occasio, quod cum eorum praefectus, qui ad Cascinam cum parte copiarum praesidebat, significasset exercitum brevi contra Pisas venturum; orassetque Lucenses, ne

(1) Segretari.

aut aggredientibus obstare aut obsessis impendere auxilium vellent; inque eam rem quatuor obsides postulasset; non nisi officiosa verba, et spes inanes retulerat. Pisanis per legatum, pecuniae subsidium poscentibus, mille aurei praesentes numerati fuerant: pollicitumque, si Genuenses Senensesque ea, quae ex foedere tenerentur, contulissent, senatum pro portione non defuturum. cui erogationi ut esset unde suppeteret, praeter summam aerario illatam, decretum ut qui e publico stipendia caperent, dimidiam partem reipublicae remitterent: renovatumque S. C. de extraordinariis sumptibus minuendis: quod caeteris temporibus civitatibus utile, in rei pecuniariae angustiis, ac per belli metum etiam est necessarium. nec ex vano timeri, tum Florentinorum odium, tum allatae Pisis a Tarlatino militum praefecto literae fidem fecere. quarum sententia erat, brevi Florentinos ad obsidendum Feroniae fanum cum exercitu venturos; quibusdam oppidanorum invitantibus. quare opportune provisum, nequid ex ea parte detrimenti caperetur. evocatique in urbem oppidani, de quibus major suspicio suberat, quieta omnia fecere. Eodem anno cum Alphonsus ferrariensis regulus de patris Herculis morte certiorem senatum fecisset; missus Caesar e Nobilibus qui

exequiarum honori interesset; ac viventi acceptum imperium reipublicae nomine gratularetur.

Interim Florentini, seu taedio belli, ac immodico sumptu fessi; seu validam Lucensium auxiliis urbem vi cogi minime posse rati, remisso armorum metu artibus agebant. itaque initio sequentis anni (1) per monachum quemdam tentare Pisanorum animos aggressi, pacis spem injecere. Pisani quid facto opus esset ambigui, ac fraudem subesse arbitrati, ipsis kal. januarii patres per legatum consuluere, Florentinorum oratorem audirent, an inauditum inanemque via qua venerat reverti juberent. Responsum, « omnino audiendum. nam » perniciosa afferentem respui; utilia nisi au- » dito probari non posse. itaque eo exponente » cognitum, Florentinos has pacis leges Pisanis » tulisse. Imperium civitatis penes Pisanos es- » set, praetor cognitoresque causarum civilium » Florentini legerentur. bello capta oppida » agrosque dominis reddi placebat. quae prae- » dabundi milites avexissent, nulla de iis men- » tio fieret. vectigalia aequis portionibus inter » Pisanos Florentinosque dividerentur. Utque » animi duarum gentium communicato sangui-

(1) Ann. 1506.

» ne magis coalescerent, XL. aut plura utrin-
» que connubia jungerentur. » quae calliditate, ac insidiis plena cum Pisani Lucam nunciassent, consiliumque flagitarent, responsum, ubi allatum esset quid Genuenses Senensesque super ea re sentirent, tunc se fidele consilium daturos: quod hujusmodi fuisse reperio:
» si eae leges acciperentur, pacem bello pe-
» riculosiorem futuram. Pisanis imperium ci-
» vitatis verbis relinqui, re adimi. nam Flo-
» rentinos in urbem accipere, iisque praeturam
» ac judicia committere; nil aliud esse quam
» arbitrium vitae necisque, ac fortunarum
» omnium hostibus tradere. nunquam crimina
» et controversias quaerentibus defore. jam
» vectigalia cum iis ex aequo partiri, praeter
» quam quod sit meliore virium parte truncare
» rempublicam, seminarium discordiarum fu-
» turum; eamdemque fore et materiam belli
» et causam. quod ad connubia attinet, tam
» insita utriusque gentis, tam inveterata odia
» esse; ut certo sciant, licet corpora socien-
» tur, animos nunquam coituros. proinde me-
» dium nihil esse, sed habendam aut totam
» servitutem, aut totam libertatem ». quare redintegrato bello, ictum foedus in annum cum Genuensibus Senensibusque in Pisanorum favorem; ea lege ut singuli populi dena millia

iis juvandis impenderent. quod Genuensibus in fide manentibus, Pandulphi Petruccii perfidia, quem Florentini spe ac promissis corruperant, ex parte Senensium irritum fuit. Unde acerbae Florentinorum querelae, nec ullus finis minandi libertati Lucensium. quod cum a Hieronymo Bernardo decemvirorum principe ad senatum relatum esset; adjecissetque id evenire, quod plurium conscientia arcani fides periclitaretur; factum est S. C. quo respublica principi ac censoribus, ac praeterea XLV. civibus permittebatur: dum ne quid de imperio ac libertate minuerent. Nec Florentinorum indignatio intra querelas minasque consistebat: sed incursiones militum predaeque, ac pecora abacta fines infestos reddebant. cumque Bonus Franceschius Pisas legatus, in urbem regrediens, in Florentinorum globum incidisset: captus ab iis, nulla juris gentium reverentia, abductusque est: nec nisi multo ambitu liber tandem esse jussus. cum ea causa Florentiam expostulatum missus esset Hieronymus Medices: appellatique Senenses Genuensesque, qui etiam pro legati libertate Ludovici regis favorem implorarunt: curatumque, ut per nobilem civem Bartholomaeum Arnulphinum, qui inter aulae romanae antistites erat, ut ejus facti indignitas ad pontificem maxi-

mum permanaret. Eodem anno cum allatum esset, Ferdinandum regem ex Hispania cum classe in Italiam profectum, ut neapolitanum regnum inviseret, Gallis expulsis a Consalvo receptum, cui militaris gloria magni nomen pepererat; patres ad eum salutandum Joannem Marcum Medicem, et Bonum Franceschium cum donis misere. donum quoque C. aureorum Consalvo missum, quem non minus quam regem colere sapientia erat: jam tantis opibus, eaque belli fama, ut infra regale fastigium parum esset. Nec inter armorum regumque curas literarum favor omissus. eaque causa Raphael Regius clari nominis professor, editisque ingenii monumentis notus, in urbem accitus, ut latinas graecasque literas juventuti praelegeret: CL. annuis constitutis. quae summa nunc pleno aerario, longaque pace gravis reipublicae videtur: tanto etiam viliore argenti aurique pretio quam tunc erat. sed honori virtutis dabatur, quae nunc contemptui habetur et obsolescit. Per haec insequens annus (1) aderat, initio cujus Ludovicus rex Genuensibus iratus, qui non tam dominantium injuriis, quam mobilitate animi gallicum jugum

(1) Ann. 1507.

excusserant, expeditionem in eos parabat. cujus nomine affuit a magno, quem appellant magistro (1), regis in Italia legato Percivalles Regiomontius, oratum ut quaecumque Genuensium in Lucensi essent, regio nomine retinerentur. cui patres egregiam de rege benemerendi voluntatem professi, postulatis non defuturos, ubi quid ejus nationis esse constaret, promisere. cumque paulo post Genua recepta rex in Italia esset, et ad Vada Sabatia (2) Ferdinandus rex cum eo convenisset: senatus utrique regi salutando Joannem Marcum Medicem, ac Blasium Balbanum misere. quibus praecipue mandatum, ut, quoniam fama vulgatum erat, eorum regum opera inter Florentinos Pisanosque pacem brevi conciliandam: in eo reipublicae salutem verti intelligerent: ut eodem tempore foedus inter Lucenses Florentinosque sanciretur. ne tot malis attritae civitati, bellum insuper metuendum esset. Ex altera parte Pisani, cum arctiora eis in dies omnia fierent; aliis atque aliis nunciis patres sollicitabant, ne in tam afflictis rebus desererentur. animisque sponte ad misericordiam flexis supervenit Tarlatinus, quem bello ac mi-

(1) Luogotenente.
(2) Savona.

litari laude egregium, Pisani armis suis praefecerant. is miserae civitatis calamitates commemorando ostendit, ni mature subveniretur, Pisas in manus pertinacium infensorumque hostium venturas. nihil tot laboribus impensisque actum, si in novissimo articulo deserantur. militem stipendiorum defectu quotidie dilabi; civibusque non pecuniam, non consilium, non arma denique superesse. quae quamquam dura et acerba, tamen et civitate tot collationibus vacua, et injuriarum bellique causas Florentinis adimendas rati patres, nihil praeter commiserationem ac bona verba in praesens dedere. Suberat etiam occulta indignatio, quod Pisani piratico lembo circa maritimam oram praedabundi, pecuniam lucensium mercatorum avertissent. neque tamen ita Florentinis satisfactum, quin omnia hostilia in Lucenses agerent. quare hoc anno, ut in eos cum quibus internecinum bellum suscipitur mos est, omne commercium, etiam literarum, suis cum Lucensibus gravi edicto vetuere. quod acerbum adeo visum, ut Romam, Venetias, Senas, per cursores expostulatum patres miserint: destinatis etiam Mediolanum ad Caumontium (1)

(1) Ciamont.

regis praefectum, ipsumque regem legatis, qui injurias sociis amicisque illatas quererentur. Missi quoque in Germaniam ad caesarem, italicum iter adornantem legati: cum Melchior Copis e purpuratorum collegio, ejus in aula romana procurator, patres ea de re literis admonuisset. modeste increpita mora, quod id officii tandiu respublica romano imperio fidissima distulisset. ut propterea Romam destinatus sit nobilis civis Thomas Pinius, qui cum Joanne Vannullio ei purpurato satisfaceret: simulque caute exploraret, quae potestas, quidve illi in mandatis a caesare datum esset. cum malignitate temporum, nulla cavendi diligentia nimia videri posset. Ad publica mala eo anno privatum incommodum accessit, quod omnes rerum nostrarum scriptores memoria dignum putavere. Erat in civitate Elisaeus cognomento Melior, grandis natu senex, et probitate morum notissimus. hunc per scelus proditionemque, in monte cui Branculo nomen est, novem pagis frequenti, affines multis vulneribus confossum laceratumque, indigna morte peremere. spe ingentis pecuniae, quam is diuturna monetae feriendae praefectura congessisse credebatur. cum ejus noxae reis inveniendis, tum ob viri claritudinem, tum ob facti atrocitatem severae questiones

haberentur: caelum ipsum se se in ultionem tanti sceleris manifestis prodigiis armavit. quippe duratam in lapidum morem horribilis procella, tantam grandinis vim effudisse dicitur; ut una strage vitibus oleisque, ac omni arborum genere prostratis fructum non in eum annum solum, sed et in plurimos insequentium perdiderit: venenata vi non in truncos ramosque modo, sed etiam in solum ipsum diffusa; ut nunquam deinceps antiquae fertilitatis honos ei monti constiterit. cum antea tanta ubertate fuisse memoriae proditum sit, ut XXXVI. sarcinarum millia, vinearum proventus expleret. Capti quoque eo anno e Pisanis quatuor insignes latrones, qui latrocinando spoliandoque vias infestas reddebant, supplicioque affecti. quorum tres, raro fallaci improbitatis documento, uno oculo captos fuisse adnotatum. Insignem eum, qui sequutus est annum (1) reddidit foedus, inter Julium pontificem, Maximilianum caesarem, ac Ludovicum Gallorum regem, Cameraci Galliae Belgicae urbe, in Venetos: quod deinde fama celebris consequuta ad Abduam clades est, qua reipublicae illius opes pene afflictae, amissa terra, maritimis locis se se aegre sustentavere.

(1) Ann. 1508.

Nec Pisanis res laetiores erant, Florentinis in dies magis magisque obsidionem urgentibus. nec in Lucensibus, quamquam saepius miserabiliter appellatis, ulla spes opis supererat; ne Florentinis, qua superbe minando, qua mala verba asperioribus factis cumulando gravibus, jamque diu bellum quaerentibus ansa praeberetur. namque hoc anno indignati, Lucenses sibi praecipue obstare, quominus Pisis potirentur, praefectum qui ad oppidum Cascinam in praesidio erat, specie Pisanos insequendi in oram maritimam Viaregium transgressum, in lucensem agrum impetum facere jussere: cuncta incendendo ac depopulando, praedasque passim agendo. quam cladem X. aureorum millibus stetisse constat. nec prohiberi ea potuit, cum ante nunciata sit quam quisquam de illa suspicari posset. quinimo cum instare bellum minime incertis rumoribus afferretur, iterum XXIV. civibus permissa respublica, ne quid ex ea parte detrimenti caperet. missique Florentiam legati eas injurias expostulatum: aliique ad caesarem regemque: quem Florentinorum criminationibus occupatum, parum se querentibus aequum praebuisse traditur. Civitas etiam novis operibus munita, stationesque ac vigiliae intentius actae. Et quoniam Feroniae fanum tantopere a Florentinis concupitum, pro-

ditione tentari compertum erat, acrius ejus custodiae advigilatum: evocatique in urbem ex oppidanis, quorum fidem labare suspicio incesserat. malisque lentiora remedia aspernantibus, quo promptius laboranti reipublicae subveniretur, a XXIV. ad VI. viros summa rerum traducta: permissumque, ut salva libertate foedus cum Florentinis ferirent, etiam, nisi aliter fieri posset, ea lege ut Mutro solo aequaretur; dummodo adjectus ager Lucensium esset. Neque tamen in tanto rerum suarum discrimine patres Pisanorum obliti, (tanta infelicium sociorum misericordia tenuit) pecuniam collaturos spopondere, si idem ex foedere Genuenses fecissent. Hoc anno III. Id. septembris excessit Galeottus Franciottus urbis antistes: dum fortuna, purpura, opibus honoribusque in eum congestis, laeta magis videretur. summo avunculi Julii moerore. cui leniendo, eodem die Sistum Garam Galeotti fratrem, eadem matre, diverso patre genitum, romana purpura, ac lucensi sacerdotio auxit: quamquam Galeotto fratri, ingenii animique dotibus minime conferendum.

Jamque insequens annus (1) inierat; principio cujus per Joannem Marcum Medicem et

---

(1) Ann. 1509.

Joannem Paulum Gilium, qui Florentiam missi fuerant, senatui significatum, injectam ab ipsis foederis mentionem, non aversis auribus animisque acceptam: colloquendoque ac agendo eo rem deductam, ut, si patribus visum foret, exitum habituram sperarent. Itaque data eis facultas, certis legibus in triennium societatem foedusque cum florentino populo sanciendi: si intra id tempus Pisis potiretur, in XII. annum praeterea duraturum. atque ita demum cum Florentinis in gratiam reditum. Verum quia oratores mandata egressi fuerant; parumque honesta civitati ea concordia videbatur: de foedere quidem, iniquitate temporum, nihil mutatum; fecialibus tamen ignominia addita, ademptique in decennium honores; relegatique intra urbem quatuor annorum spatio. tamen in speciem publica laetitiae signa edita, supplicationesque habitae: dataeque pontifici maximo, Genuensibus, Senensibus, aliisque cum quibus de Florentinorum injuriis expostulatum erat, literae; aliaque de more acta: non quod respublica amicos acquisisset, sed quod hostes apertos habere desisset. Eo foedere Pisanorum res, quae ad eam diem Lucensium auxilio praecipue steterant, afflictae, et ad ultimam desperationem redactae. quippe omni spe subsidiorum accisa; cum et patres sociali fide

ex novo foedere nihil submitterent: et si fides abfuisset, sedula Florentinorum custodia, qui omnia intenta cura explorabant. neque tamen prohiberi poterat, quin obsessis furtim commeatus a privatis deferrentur, singulorum utilitate publicam fidem vincente. Unde quotidianae Florentinorum criminationes, tabulas, foedusque appellantium: quod contra jus commeatus passim Pisas adveherentur; Pisanisque tutus in Lucensi receptus esset. quibus querelis cum non legatum modo regis, qui Mediolani erat, sed etiam regem ipsum implessent; ab utroque literae allatae, quibus patres ut ferendo ultra Pisanis auxilio absisterent admonebantur. cui crimini purgando missi ad regem oratores Stephanus Bernardus, et Nicolaus Cenamus. donec tandem junio mense Pisae in potestatem Florentinorum venere: tot annorum spatio infelici conatu defensae. quibus memorabili exemplo, Lucensium invicta ad extremum fides mansit. donec fato coacti inviti destitere: eo re deducta, ut dum aliena defenditur, de republica propria dimicaretur. Eam victoriam Florentinis senatus gratulatus est: sed laetitia in publico, animi occulte moerebant: cum bellum in se a Pisanis versum ominarentur. quare omnia tamquam bellum instaret comparabantur: foedus nuper

ictum, tamdiu valiturum rati, quamdiu attritas pisano bello vires Florentini recreassent. Ad caeteras curas illud quoque adjectum, ut legati circum ad consilia cum populis regulisque communicanda dimitterentur. nec vanam eam opinionem fuisse eventus docuit. quippe hoc ipso anno inter victoriae gratulationes, cum Florentinorum orator in urbe esset, patefactum est, magno ipsius dedecore, eum cum Thoma Seravessensi de Feroniae fano per proditionem occupando consilia inisse. quare Thoma in vincula conjecto, quaestionibusque habitis, cuncta ordine cognita; reusque supplicio affectus, quamquam legatus pro eo liberando multum connisus esset. quin ad majorem ignominiam quaestionum tabulae illi coram recitatae, vultum coloremque subinde mutanti: cum se manifestis indiciis teneri proditionis cerneret; reputaretque quam alienam a legati dignitate personam induisset. quare dedecoris impatiens urbe excessit, indignabundus tamen et tamquam imputaret. longe aliter cum legatis caesaris actum. qui cum pecuniam in expeditionem italicam ejus nomine postulassent, IX. aureorum millia collata: spondentibus iisdem omnia privilegia immunitatesque ab imperatoribus civitati concessas, eum ratas habiturum. Missus quoque eodem tempore ad re-

gem Gallorum Hieronymus Medices: cum in ea temporum acerbitate, illorum principum gratiam, qua officiis, qua donis demereri, maximum tuendae libertatis arcanum esset, praecipue cum decemviri Florentinorum literas ad senatum superbe ac minaciter scriptas dedissent; ita ut imminere bellum minime dubitaretur. ignari nil aliud asperis profici, quam ut patres ad tnendam libertatem, acrius intentiusque invigilarent. Nec deerat arma quaerentibus occasio. quippe jam aliquot ante annis inter Bargaeos Gallicanensesque graves de Granii montis, inter utrosque positi, possessione, inimicitiae exortae erant: resque eo processerat, ut agri passim incendiis ruinisque, ac strage arborum utrimque vastarentur. quare superiore anno Bargaeorum audaciae comprimendae, commercium omne inter eos Lucensesque interdictum fuerat: patribus gnaris una ea re domari illorum animos posse: nulla alia ejus oppidi sustentandi ratione, quam libero importandi exportandique commeatu: distrahendique ac comparandi merces propinquae urbis opportunitate. quemadmodum ad bellicosam maximeque fidam Gallicanensium nationem in obsequio ac amore reipublicae continendam, non semel frumentariis largitionibus

liberalitatem suam senatus exercuerat: remissis etiam in biennium tributis. Hujus controversiae praetextu, ne Florentini ad inferenda arma uterentur, animos patrum suspicio incesserat. quare praeripiendam omnem occasionem rati, hoc anno Bonum Franceschium, clari tunc nominis divini humanique juris scientia, Florentiam misere, ut ea lis, nisi aliter posset, romanae aulae arbitrio finiretur. Sed Florentinis judicium declinantibus, contendentibusque ut ex aequo bonoque potius, ea controversia finiretur, utcumque transactum: dum patres in ea temporum iniquitate, omnia bello meliora arbitrantur. Inter eas curas, duas artes maxime diversas, sed aeque reipublicae salutares senatus respexit; armorum nempe ac literarum. quippe latinis graecisque literis juventuti erudiendae, Sebastianus Duccius e monte Vitulino in urbe stipendio publico accitus: Tarlatinusque qui Pisis amissis Lucam concesserat, non semel pecunia adjutus: ut vir militari gloria insignis, fortunae malignitatem aequius toleraret. Is qui sequutus est annus (1), spem recuperandi quae late quondam in lunensi feroniensique provincia Lucenses te-

(1) Ann. 1510.

nuissent, patribus injecit. Decreverat Julius pontifex, vir ingentis spiritus, et ut in iram praeceps, ita obstinato animo ad perficiendum quaecumque iratus decrevisset, ferrariensi regulo bellum inferre: eodemque tempore Liguriam unde ortum duceret, Gallorum jugo subducere: ejus gloriae famaeque retinens, qua liberator Italiae vocari cupiebat. Quare secum reputans, quantum utrique rei Lucenses locorum opportunitate conferre possent; tum commeatibus mari subvehendis, tum auxiliis terra submittendis; Hieronymum Bonvisium egregium civem, romanaeque aulae asseclam, cum literis ad senatum misit; quibus auxiliares copias adversus Ferrariensem, tutumque classi receptum stationemque genuensi bello orabat. Si quam justa belli causa esset, tam felicem superi voluissent; quaecumque antiqui Lucensium juris in lunensi provincia Genuenses tenerent; aut ferrariensis regulus in Feroniensi, novissimo florentino bello occupasset, redditurum pollicebatur. Magnam eae literae curam senatui injecere. quippe si amissa recuperandi cupiditas valuisset, quae patrum animis deliniendis grate irrepserat; Galliae rex patronus reipublicae, in cujus clientela Ferrariensis, imperio Genuenses erant, violandus. si vero fallacem blandamque spem ratio ac sapientia

vicisset, iratus pontifex habendus, qui causis exortis, duplici telo armatus, bello dirisque insectaretur. non deerant qui oblatam divinitus occasionem arripiendam censerent, qua pristina reipublicae imperii majestas redderetur. « quantam virium, quantam existimationis ac- » cessionem futuram, si Luna provinciae ca- » put, si tot clara oppida ad veteres domi- » nos redissent. nec minus ex altera parte » adjectum iri, bellicosa Feroniensium natione, » totque municipiis arcibusque, situ ac vir- » tute incolarum munitis. magnam vim ha- » bere in animis hominum pontificem ferro » ac religione armatum. exemplo nuper Vene- » tos fuisse, non magis regum armis quam » diris ac devotionibus pontificis afflictos. si » socia arma jungantur, brevi fines Macram » usque, ac trans Appenninum proferri posse. » At ab iis, qui tuta magis quam speciosa suadebant, dicebatur contra: « incertam spem » certo periculo minime emendam. Rempubli- » cam hactenus moderatis ac sapientibus, magis » quam animosis ac fortibus consiliis stetisse. » gratiam aut odia pontificum cum ipsis va- » lere, aut extingui: reges gentesque aeternas » esse. Pontificum majestatem religione, non » armis niti: nec in eos peccare qui in aciem » et castra, sed ad aras ac templa non

» sequatur. Julium senio gravem, si in me-
» diis conatibus aliquis casus excipiat, rem-
» publicam odiis invidiaque cinctam, hostibus
» praedam relinqui. Sed ut cuncta illi ad
» nutum succedant; quis unquam potentiorum
» post victoriam promissis stetit? ubi pontifex
» voti compos appellabitur, initio bona verba,
» et officiorum ambages. tum aliae super alias
» causae, donec interregnum ac successor
» omnia in irritum solvant. satis esse in ea
» temporum asperitate, quae habeant reti-
» nere: crescendi spem melioribus annis re-
» servandam. quamquam Lucenses, non tam
» magnitudine imperii, quam sapientiae hacte-
» nus gloriam consequutos. cavendum ne dum
» magna et ancipitia sequi libet, moderata
» ac tuta per imprudentiam amittantur ».
Haec sententia, ut debuit, vicit. quare ex
S. C. alter legatus cum Bonvisio missus, qui
doceret « Lucenses ejus causa omnia cupere,
» sed in clientela regis esse, nec sine sum-
» mae periculo rei, aliquid contra eum movere
» posse. praeterea Florentinos semper reipu-
» blicae graves, non pati a custodia rerum
» suarum vires avertere. quare patribus magis
» de libertate retinenda, quam de proferen-
» do imperio curam esse. Civitatem lucensem
» romano sacerdotio conjunctissimam semper

» extitisse: sed necessitatem supra omnia con» silia esse ». Annuit in speciem his causis pontifex, suppressa ira, quam deinde suo tempore promeret. Eodem consilio cum M. Antonius Columna, qui pisano bello Florentinorum stipendiis militaverat, a pontifice conductus, cum manu DCC. peditum, C. cataphractorum equitum in Lucensi esset; oraretque ut clam sibi D. pedites, qui sponte militare vellent, scribere liceret, patres comiter prudenterque agendo, ut incoepto absisteret impetravere. neque ideo vitari calumniatorum malignitas potuit, quin apud regem violatae fidei Lucenses criminarentur. rati facilius Lucam, uti tandiu frustra concupierant, absorberi posse, si eam a regis latere avellerent. eaque criminatio usque adeo regem movit, ut Nicolao Cenamo Lucensium oratore ad se vocato, graviter questus sociorum perfidiam, patrocinium reipublicae ejuraverit, ultionemque promiserit: quod ubi nunciatum Lucam est, quemadmodum, ut par erat, patres commoti, ita innocentia freti, Caesarem e Nobilibus extra ordinem ad regem destinavere; qui una cum legato ordinario, illum haud ultra errare pateretur; fraudesque hostium aperiret. dona simul conciliandis magnatibus cum legato missa: quibus, causaeque bonitate Lucenses iterum in

regis gratiam fidemque, ut antea recepti. creatique ex S. C. XII. viri, qui nova foederis leges cum rege sancirent. atque ita id periculum sapienter discussum.

Eadem arte, qua Julius pontifex, patrum animos tentavit Alphonsus Ferrariensium regulus: datis ad senatum literis suo Hippolitique fratris nomine, quem praeter communem sanguinis claritudinem, romana purpura, egregiaeque animi dotes insignem faciebant. Sententia illarum erat, se oppida feroniensis provinciae, de quibus alias controversia fuerat, Lucensibus remissuros, si XII. millia aureorum solverentur. quippe ea spe Lucenses a pontifice averti posse: seque interim lucensi auro bellum gesturos. ejus provinciae populos per se mobiles variosque, facili deinde negotio ad assuetum Estensis familiae obsequium reversuros. Cum de ea re a Joanne Guinisio decemvirorum principe ad senatum relatum esset tanta cupido omnium animos incessit: ut XII. viri crearentur, quibus eam summam persolvendi, conficiendique ejus negocii potestas permittebatur; sed minacibus Julii pontificis literis, aliis super alias datis, quibus inimicitias denunciabat, si ejus hostis pecunia juvaretur, territi patres destitere: cum nulla ratione flectere eum potuissent, ne reipubli-

cae commodis obsisteret. Eo anno in lunensi provincia turbatum, initio a Massensibus orto: qui cum noctu clam terminos, quibus eorum ac Ignosentium agri finiuntur, loco movissent; odiorum rixarumque inter ea municipia causa ingens extitere. Atrox facinus, paremque facinori poenam idem annus vidit. Andreas Mordecastellus antiquae nobilitatis, et Franciscus Villafranca sutrinae ignem subjecere. fusoque late incendio, adjecta domus, ut ipsi concupierant, conflagravit. rei comprehensi damnatique, e palatii fenestris, fractis laqueo cervicibus pependere. inde a carnifice cadavera in ambustum locum unco pertracta, ac e furca suspensa, moxque, scelestis ingens documentum, flammis absumpta. Dum Julius pontifex, tamquam imperator, inter vexilla et arma versatur; sequenti anno (1) quorumdam purpuratorum factione, quorum princeps erat Bernardinus Carvajalius Hispanus, indicto Pisas sacerdotum conventu, maximis curis exercitus est. quae demum illum, aegritudine animi concepto morbo, confecere. dum vir magnanimus, et contumeliae insolens eam injuriam devorare non potest. origo omnis ejus mali a

(1) Ann. 1511.

Ludovico Gallorum rege, qui Julio tamquam partibus suis averso infensus, pessimo exemplo dolorem suum christianae reipublicae secessione ultus est. Ea religionis labe Lucenses, ut in Pisarum vicinia, non intacti. quippe cum purpurati, qui eum conventum indixerant, Lautrechii invitatu, ut in urbem regi amicam Lucam venissent: ob honorem hospitiumque illis impensum, ab irato pontifice sacris civitati aliquandiu interdictum. quod praeter externarum rerum scriptores (1), Petrus Santinius (2) e nostris, qui oculis praesens spectabat, memoriae prodidit. Quin etiam illud ominosum in eorum adventu contigisse adjungit; quod cum per portam D. Donati cardinales ingressi, praeter D. Benedicti aedem, ubi Crucifixi imago prodigiis celebris, antiqua religione colitur, equitarent; testudo templi quae tunc extruebatur, luxatis repente compagibus molibusque, magno fragore corruit; non sine illorum terrore, qui pravis contra Deum consiliis similem ruinam ominarentur. Nec longe infelici augurio fides abfuit. nam Franciscus Borgia ex eorum numero, quem ab ejus urbis sacerdotio Cosentinum vocitabant, praecipuus

(1) Guicciardin. lib. 10.
(2) Petrus Santin. MS.

ejus molitionis faber, cum morbo correptus Lucae substitisset, paulo post aeterno Judici sistendus supremum diem obiit (1). caeterique conatum prosequuti, male coeptam rem pejus finivere. Illud a vero abest, quod cremonensis historiae scriptor tradidit: nempe Julium ob conceptam in Lucenses iram Ferdinandum Hispaniarum regem orasse, ut eorum patrocinium dimitteret. nam ut demus Julium ea occasione uti cogitasse ad opprimendam rempublicam, regulique urbinatis imperio adjungendam, si Ferrariensem spoliare illi contigisset: illud certum est, eo tempore Lucam in clientela ac fide Ludovici regis extitisse, quod Tuccius adnotavit. In tanto italicarum rerum tumultu patres vulgari more non contenti, VI. viros in annum creaverunt, qui civitatis custodiae extra ordinem praeessent. fuere ii Philippus Podius, Michael Burlamaccus, Petrus Cenamus, Bernardus Bonvisius, Nicolaus Saminiatius et Carolus Balbanus. Gurcensi quoque (erat is Matthaeus Langius magni nominis purpuratus, qui caesaris res in Italia procurabat) tria aureorum millia, mutui nomine dono data. cum eum propitium habere in illa rerum procella,

(1) Guicciardin. L. C.

reipublicae interesset. in ejusdem gratiam civitas data Antonio Guazzellio castellionensi, civibusque antiquae originis suffragii jure aequatus. Insignis sequens annus (1) clade ad Ravennam extitit, in qua a ferrariensi regulo caesaris Gallorumque regis viribus adjuto pontificiae copiae profligatae: Joanne Medice, qui paulo post summum sacerdotium adeptus est, inter caeteros capto. mirabili lusu, fortuna intra vertentem annum, carcerem regnumque illi destinante. Dum Ferrariensis eo bello distinetur, veriti Feronienses, si in ejus fide perseverarent, Julii pontificis arma, veteres dominos respexere. itaque occultis nunciis patres admoniti, occasione utendum rati, VI. millibus aureorum festinata collatione redactis, Hieronymum Medicem, et Michaelem Michaelium, Pratum in castra ad Ugonem Moncatam, qui neapolitanum regnum pro Ferdinando Hispaniarum rege obtinebat; ut eum donis delinirent, ne lucensem agrum, ut in pratensi fecerat, popularetur; nostrisque feroniensem provinciam tentaturis auxilio esset. Itaque hispanis militibus Bononiam euntibus, copias nostri junxere. primoque Novocastrum provin-

(1) Ann. 1512.

ciae caput in potestatem redactum; deinde universa praefecturae Camporegiensis oppida, iisque praesidium impositum, quibus populis in fide continendis, nonnulli e primoribus in civitatem allecti publicisque muneribus admoti: inter quos Frigdianus Ponticellus novocastrensis, cujus eximia opera in rempublicam fuerat: aliique aliis premiis affecti. quamquam irrito fructu ob ingenii mobilitatem. Eam reipublicae accessionem graviter tulit pontifex Julius, qui ea loca una cum caeteris, quae ferrariensi regulo parebant, imperio suo adjungere meditabatur. eum se esse oblitus, qui paulo ante oppida illa Lucensium juris agnovisset; dum eos ad arma secum jungenda hortaretur. Quare ferocis ingenii homini placando legati missi, ita demum pacem impetravere, professi senatum populumque lucensem in ejus potestate fore; facturumque de ea regione, quae ipse censuisset. Interim tamen duo praefecti regendae provinciae a decemviris auctoritate senatus lecti Joannes Marcus Medices, et Stephanus Podius: creatique XVIII. viri ad quos earum gentium negocia referrentur: quorumque potestatis esset novos populos in fidem accipere, legesque eis in annos L. scribere: conjectis in eum numerum principibus civitatis. Dum haec aguntur, ex alia parte

Gurcensis, quem elati impotentisque animi, ultra quam sacris addictum hominem deceat, scriptores ejus temporis prodidere; datis ad senatum literis superbe denunciabat, ni pecuniarum subsidia mitterentur, copias sè in lucensem agrum immissurum clademque, ac vastitatem illaturum. qua re moti patres, ratique tutius bellare auro, quam ferro ad III. aureorum millia submisere. Eodem anno senatus audita Pratensium clade, quos Hispani Moncata duce, omni libidinis crudelitatisque exemplo vexaverant; misit qui tamquam socios amicosque publico nomine consolaretur. donumque adjectum, quantum fortuna eorum temporum ferebat. Finiendis quoque controversiis inter Gallicanenses Bargaeosque de Granii montis jure exortas triumviris potestas data. fuere ii Philippus Podius, duoque ejus temporis divini humanique juris consultissimi, Lazarus Arnulphinus, et Nicolaus Tegrimus. Decretum quoque hoc anno, ut agri universi intra sex mille ab urbe passus, quemadmodum centesimo ante anno Paulus Guinisius fecerat; rursus per decempedatores recognoscerentur. cui operi urgendo, biennio post IX. viri creati. Per initia insequentis anni (1) Julii pontificis

(1) Ann. 1513.

mors magna cura rempublicam liberavit. quippe certi patres, novam feroniensis provinciae accessionem, nonnisi vi coacti remittere, bellum et arma adversus hominem, praeter insitam ingenii ferociam, majestate religionis venerabilem necessaria sibi cernebant. nec ea inanis ex metu opinio, aut longinquae res erant. Nam Julius principio anni, antistitem miserat, cui ea oppida traderentur: recitataeque ejus literae, quibus senatum monebat, dirasque ac devotiones contumacibus minabatur. quae seu jure, sive injuria illatae animos hominum religione perinde capiunt. Sed pontifice X. Kal. martii extincto, omnia ejus consilia periere. secunda magis apud posteros fama futurus, si regum, aut caesarum aliquem fata esse voluissent. Sed summi sacerdotes sanctimonia et religione magis, quam bello et armis aestimantur. caeterum, pontificum imperio a plerisque tyrannorum occupato, trux Julii ingenium, ut pacatis temporibus male audiret, ita saeculi malignitate laudasses. In ejus locum Leonis X. nomine Joannem Medicem patres legere, florente aetate, quippe XXXVII. annos natum; et avi patrisque claritudine, et indole sua tanto fastigio parem. ejus renunciatione Florentini, quibus ea dignitas nova erat, immensis laetitiis incessere.

lectis inusitato more XII. oratoribus, qui ei publico nomine summum sacerdotium gratularentur. ignari semper id decus liberis civitatibus magno stetisse: nec ad gloriam famamque magis quam ad exitium valere. dum ei fastigio proximi, tamquam privatum modum egressi aequatum jus indignantur; caeteri invidia eos in ordinem cogunt: unde civiles discordiae, et libertatis aegritudo, deinde occasus. Lucenses quoque ad eum salutandum, ut cum civibus agi mos est, quatuor oratores misere: cum mandatis, ut publice in senatu purpuratorum auditi, remotis arbitris deinde cum pontifice agerent, eique rempublicam tamquam parenti enixe commendarent: orarentque in primis ut ejus auctoritate sincera pax cum Florentinis sanciretur; quos jamdiu acerbos infensosque experirentur. a quo bonis verbis, largeque promissis onerati (quod Leonis ingenium fuit) pacata ac propitia omnia domum retulere. Sed non diu ea simulatio benignitatis erga Lucenses duravit: cum ad caetera quibus se reipublicae incommodum praebuit, etiam consilia de Luca in favorem Laurentii Medices occupanda accesserint, ut paulo post memorabitur. Florentinis sponte sua reipublicae infensis. quique januario mense excursionibus in lucensem agrum factis, hostilem

animum ostenderant; pontificis renunciatione spiritus creverant. passimque sermonibus jactabant, « venisse tempus quo ipsorum cive ad » tantum fastigium evecto Lucenses ulciscerentur ». Quare per aestatem hujus anni saepius latrocinantium more in lucensem agrum transgressi, praedas agendo, ac inferendo injurias infesta omnia reddebant. cumque per legatos apud eos querimoniae deferrentur, ea non publico consilio fieri, sed a militari licentia profecta cavillabantur. frustra eorum culpam in alios conferendo, quae ipsi, dum non prohibent, imperabant. quare ne in apertum bellum cum summae reipublicae periculo res erumperet: patres Romam ad pontificem maximum querelas detulere: qui finem injuriarum fore affirmavit, si de Granio monte, ac Feroniae fano Mutroneque transigeretur. nec aliam conciliandae inter utrumque populum pacis rationem esse. ad eam se studium operamque polliceri, quo tamdem amicissimi quondam Etruriae populi, veteres animos resumerent. Patres his verbis deliniti; pontificemque potius, quam Florentinum reputantes, missis cum potestate Silvestro Gilio, qui Branovii in Britannia (quam deinde minores Vigorniam appellavere) sacerdotio potiebatur, Bartholomaeo Arnulphino, et ipso e romanae aulae ministeriis,

Nicolao Tegrimo, Bono Bernabonis, ac Stephano Bernardo, causam ei detulere: ut illam inspecto jure tamquam judex finiret. Sed eo judicis personam recusante: quippe si res jure ageretur satis gnarus nihil sibi in Lucenses licere; arbitriumque sibi dari postulante, ut ex aequo bonoque transigeretur; quae nostrorum hominum antiqua bonitas fuit; id illi permisere. nec quicquam propius factum est, quam ut Mutro ac Feroniae fanum Florentinis adjudicaretur; Granii montis usu in annos L. Lucensibus permisso, ita ut centenos aureos in singulos annos Bargaeis persolverent: quo annorum spatio exacto, liberum Lucensibus, Florentinisque esset jus suum de illo experiri. perque hunc modum duo oppida, sine ulla controversia Lucensium juris: alterum etiam praeter jus originis, ter pecunia redemptum; nostrorum credulitate amissa: dum putant plus religionem fidemque, quam patriae affectum valitura. cui sententiae, quamquam graviter adeo laesa republica, ne majorum turbarum causa praeberetur, patres subscripsere. caeterum ipsi Leoni eam iniquitatem patuisse constat: cum legatis Lucensium contra tendentibus, unica ratione occurreret, obstinata videlicet Florentinorum cupiditate: cui, si pacem vellent, obsequendum erat. Neque tamen inte-

rea, dum haec aguntur, Florentini injuriis abstinebant (1): rati Lucenses minus aegre partem remissuros, si de summa periclitarentur. nam apertis indiciis apparebat Laurentium Medicem insidias Lucensium libertati moliri. quare patres bello quod instabat intenti, suburbana aedificia, ne receptui hostibus essent, diruere. inter quae cum duo templa egregii operis, alterum in honorem principis apostolorum ad meridiem; alterum D. Donato dicatum ad occidentem, solo aequata essent: utrumque intra urbem secto marmore magnificentius extructum; primum e regione palatii; alterum, cum D. Paulini aedes publico sumptu augustius reficeretur, placuit utrique divo commune esse; translatis eo sacerdotiis e vetere basilica. Dum Florentini haec in rempublicam moliuntur, in feroniensi provincia novatae res, initio a Novocastrensibus facto. moti, praeter insitam perfidiam, quidam municipali invidia, quod nonnullis in civitatem adlectis, ipsi praeteriti fuissent: quidam ira, quod defectionis ad Lucenses autores, non satis liberaliter se pro opinione habitos existimabant. Itaque mota seditione, cum praefectos, praesidiumque Lucensium oppido ejecissent, patres injuria accensi,

(1) E le vogliono.

copiis raptim collectis, adversus rebellantes duxere. captumque primo impetu oppidum direptumque, violatae fidei poenas exolvit. idem caeteris oppidis factum, quae defectionem Novocastrensium sequuta, caeteris in officio manendi documentum fuit. Sed non diu frui ea victoria licuit. nam Alphonsus ferrariensis regulus, Julii morte metu solutus; cum novi pontificis gratia in spem amissa recuperandi venisset: patribus denunciavit, si ea oppida sponte redderentur, se amicum Lucensibus futurum laturumque auxilium adversus Florentinos: secus, vim et arma expectarent. Quare patres, ne ancipiti malo deprehensi, de republica dimicarent, iis qui in reguli potestatem redire vellent, (quod sine antiqui juris fraude fieret) permisere: atque ita praefecturae novocastrensis, et Camporegiensis rursus amissae, confectaeque inter regulum Lucensesque tabulae, quibus veteri Lucensium juri, in universam feroniensem provinciam cavebatur: patribus quietum imperium ampliori praeferentibus. quod omni tempore salubre, illo etiam necessarium erat, tot insidiatoribus libertati undique imminentibus: Florentinis praecipue, qui voti tamdem se compotes futuros Leone cive arbitrabantur. tanto avidiores alie-

nae libertatis opprimendae, quanto viciniores erant amittendae suae.

Rebus cum Florentinis, Mutronis, ac Feroniae fani traditione compositis; Pontitenses, qui ad fines Pistoriensium in montanis incolunt; cum Florentinorum cuncta hostiliter vastantium impetum non ferentes, se se eis dedidissent, ad veteres dominos rediere. quibus timiditatis potius, quam perfidiae culpa, benigne a patribus remissa. Steapensibus vero, qui in ea vicinitate constanti fide pro republica steterant, hostiumque vim animose repulerant, laude, ac praemio affectis. Insequenti anno (1), controversiis, quas fani Feroniae incolae ob inveteratum in dominos odium, cum finitimis populis excitaverant, componendis, Thomae Montecatino, ac Lazaro Arnulphino negocium datum, qui cum Florentinorum praefecto transigerent. lites quoque de finibus inter Massenses, et Ignosenses in lunensi provincia, ac inter Arianenses Caesaranensesque in Feroniensi, amice compositae. Inter caeteros, eo tempore reipublicae infestos, erat Franciscus Cibo Innocentii VIII. filius, qui Massae Lunensi imperitabat: hic quamquam

(1) Ann. 1514.

exigui imperii dominus, ac longe impar si vires conferrentur; tamen Leone pontifice, cujus sororem in matrimonium duxerat, tumidus, eo confidentiae processerat, ut cum Hieronymo Medice, quem patres ad eum miserant, terrore ac minis ageret. qua contumelia accensi, quidam temerarium hominem statim puniendum censebant: sed prudentiores in aliud tempus ultionem differendam rati, Bartholomaeo Arnulphino apud pontificem oratori negocium dedere, ut eam litem auctoritate pontificis dirimendam curaret. Insignem is annus scelerati civis poenam, documento posteritatis tulit. Joannes Franciscus Trenta vetustae nobilitatis, a majoribus degener, eo vaecordiae progressus erat, ut palam diras execrationesque in Christum parentemque Virginem ore spurco evomeret. cujus impietatis delatus convictusque, cum initiatum se ad eludendum judicium, nectendasque moras objecisset, re ad senatus cognitionem rejecta, praetori imperatum, ut statim abscissa lingua impium hominem in exilium pelleret: denunciata morte si intra L. millia passuum ad urbem accederet; praemiisque propositis ei, qui intra id spatium illum interfecisset. cujus foedum, vitaque dignum exitum suo tempore memorabo. Sed ut senatus perniciosis civibus

pellendis severe, ita novis virtute praeditis hominibus civitate aperienda sapienter egit. quippe hoc anno in civitatem adlectum reperio Santuccium Santuccium, qui Campomajore honesto loco natus, ob humani divinique juris scientiam dignus eo honore habitus, Santucciorum familiae originem dedit, quae intra senatorium gradum hactenus stetit. Initio insequentis anni (1) Ludovicus rex, in cujus clientela Lucenses erant, extinctus est. publicus parens a popularibus suis dictus, belloque etiam ac victoriis clarus. prosperiore fama futurus, nisi seditionis sacerdotum conventibus, secessione etiam religionis tentata, eas laudes corrupisset. ejus morte, cum absque virili prole decessisset, regnum ad Franciscum Engolismensium regulum, qui e regia stirpe, arctiore propinquitatis gradu regem contingebat, salica lege delatum est. juvenem eximio formae ac aetatis flore: nec strenuum minus bello ducem: cladium, quae deinde tot annos Europam afflixere, magnam partem futurum. Is juventa ac viribus audax, Ludovici et Caroli exemplo, vix inauguratus in Italiam superatis Alpibus descendit. ac Mediolano re-

(1) Ann. 1515.

cepto; cujus imperium, Gallis Helvetiorum ope pulsis, Maximilianus Sfortia obtinebat: itemque Parmae ac Placentiae dominatu, Leone pontifice remittente, potitus; ad ipsius pontificis colloquium Bononiam accessit. Agitabat animo pontifex mediceam domum, jam privatorum civium modum egressam, ac proinde liberae civitati gravem odiisque expositam; quibus saepius jactata aliquando obrueretur: solida mansuraque potentia firmare. Itaque cum Laurentium expulso Feltrio, Metaurensibus imponere decrevisset; Parmae, Placentiaeque beatius uberiusque imperium Juliano fratri destinaverat. sed cum regis metu, eas urbes remisisset, in eam cogitationem venerat, ut Lucensium, Senensiumque oppressa republica, amplam fortunam e tuscae libertatis ruinis germano strueret. Itaque cum in eo colloquio, non modica famae jactura, regis cupiditatibus humana ac divina prodigendo obsequutus esset, velut mercedem, Lucam Senasque ab eo flagitaverat. Sed abnuente rege, ne primordia regni dehonestaret, conflaretque genti invidiam, tamquam italicae libertati obstaret: Leo id saltem poposcit, ne quam tuscarum civitatum in fidem clientelamque acciperet. cumque rex, id quoque in dedecus suum exiturum animadverteret, si sociae amicaeque gallicae nationis civitates,

alienae ambitioni auxilio nudatae obijcerentur: non ante assensus est, quam pontifex, nulli earum se gravem futurum interposita religione polliceretur. Itaque cum Lucenses XXIV. millibus aureorum oblatis, per Caesarem e Nobilibus ac Nicolaum Cenamum, regem in reipublicae patronum, ut ante Carolum Ludovicumque adoptassent; is donum patrociniumque recusavit. quare patres, per eos quos in diversas regiones, captandis rumoribus dimiserant, ea consilia subodorati: praecipua egregii civis Hieronymi Medices, ac Petri Arnulphini diligentia: quorum alter Mantuae, alter Florentiae legati specie rimandis inimicorum arcanis morabatur: in magnis curis anxii suspensique agebant. proinde solito frequentius in curiam venire, saepius universi inter se colloqui, omnemque se in partem versare, ut imminentem procellam discuterent. nam praeter legatos quos Mediolanum destinaverant, ut regi adessent: literae quoque Venetias ad Sebastianum Podium et Pandulphum Cenamum datae, qui eum senatum orarent, ut rempublicam regi commendatam vellet. ejusdem quoque argumenti ad Genuensium principem scriptae: quae, si res posceret, a legatis qui Mediolani erant, redderentur. Sed humanis consiliis, inter tanta discrimina, aegre expedientibus,

divina, publicas partes agendas suscepere: Juliano sequenti anno opportuna morte extincto; qua Leonis in medio conatu fractae cogitationes, in irritum cecidere. Externis malis domesticorum cumulus accedebat. quippe dissidiis jam ante inter montanos Apennini accolas ortis: agrestium animis ut consilio invalidis, ita ad odia irasque obstinatis; neque finis apparebat, periculumque erat ne factionum studio civitas quoque in partes discederet. Nam veluti fatalis quaedam rabies, incertum quibus initiis, municipum rusticorumque animos pervaserat; ut alii Italicorum, alii Gallicorum nominibus assumptis; (ut olim pestiferis Guelphorum Ghibellinorumque titulis) mutuis se se odiis cladibusque insectarentur. eaque causa caedes, populationes, incendia passim fieri: aliaque mala accidere, quae civiles discordias consequuntur. Jamque is furor in urbem manaverat: civesque ut hos, illosve necessitudine, aut clientela aliqua contingerent, ita studiis certabant. quare ad eos tumultus opprimendos praefectus extra ordinem missus, cujus sapientia ac moderatione, feroces populi, et injuria invicem accensi lenirentur. Nec a Florentinis, quamquam non publico vitio, cessabatur. Nam cum Leonis X. judicio tabulae cum Bargaeis conficiendae essent; eorum scriba

per insolentiam contumeliosa verba adscripserat. cumque nostri id dedecus prohiberent, rebus infectis utrinque discessum. quod Florentiam nunciatum, importunitas hominis, ut par erat, magistratus movit. itaque formam iis verbis sententiisque temperarunt, ut nihil adjici, mutarive opus fuerit. quippe inane eis visum, cum re superiores essent, de verbis disputare. Insequenti anno (1), ut nulla belli clade, quemadmodum caetera Italia, Lucenses afflicti; ita perpetuis curis, quae assiduam mentis agitationem poscerent, anxii suspensique. dum servandae libertati, cui fraudes undique insidiaeque nectebantur, regum principumque consilia explorare satagunt. gnari, tamquam cum mari nautis, ita sibi cum ingruentibus discriminum procellis, non viribus sed arte luctandum. Intenderat eas curas Laurentius Medices, hoc anno Metaurensibus a Leone impositus, vi belloque Feltrio depulso: quem ea dominatione non contentum, ad Etruriae totius imperium adspirare, non inanis suspicio jam ante incesserat. quare Petro Arnulphino patres in mandatis dedere, ut obsequii specie Laurentium quacumque sequeretur: quemad-

(1) Ann. 1516.

modum Caesari e Nobilibus, ne a regis Francisci latere discederet. Ne tamen intelligere viderentur quod maxime cavebant, Silvestro Gilio vigorniensi antistiti, qui Anglorum regis orator apud pontificem maximum Romae erat, imperatum, ut eidem pontifici novam Laurentii dignitatem gratularetur; ejusque fidei tutelaeque rempublicam commendaret. Interim tamen acri custodia muri portaeque civitatis diu noctuque servabantur. coeptae quoque aedificari turres, per intervalla continentium murorum, in novam formam: ac plerique advenarum exire urbe jussi: tum quia temporum asperitas, parvam etiam indigenis fidem habere suadebat: tum inopia frugum, qua cum caetera Italia Lucenses quoque premebantur. Nec minor pecuniarum, quam commeatuum egestas: tot impendiis legationum custodiarumque exhausta civitate. cum tamen hinc borbonii reguli, regii in Italia legati XV. millia dari sibi mutuo petentis: hinc Caesaris e Nobilibus alia X. regis nomine postulantis literae, patrum animos sollicitarent. apud utrumque maximis verborum officiis aerarii angustiae, civiumque fisci inanes tot jam collationibus, excusati. cumque Borbonii nuncius regis iram armaque superbe denunciaret, pacate responsum, missuros patres qui regio legato

satisfacerent. Interim tamen intimis regis familiaribus munera decreta: praefectoque maritimae rei D., magno magistro CCC. ac Roberto CC. aurei dono missi. Cum praestaret parvis impendiis largiendo damnum facere, quam mutui nomine ingentes summas perdere. Privatorum etiam commodis consultum, misso Santuccio Santuccio, quem paulo ante creatum civem memoravi, in Helvetios, ob retentas mercatorum res, ut liber commeatus ex ea parte esset.

Interim in montanis, ea quam dixi, factionum rabies saeviebat: nec in urbe res pravorum civium culpa pacatiores erant. Venerat in civitatem, sua vecordia illum ad merita supplicia urgente, Joannes Franciscus Trenta: quem paulo ante impietatis damnatum, pulsumque in exilium memoravi. cumque per lictores captum, praetor urbanus intra quatuor horas (ita lex jubebat) supplicio afficere parat; Galvanus Trenta exactae jam aetatis, cum liberis Nicolao ac Vincentio, adjunctis sibi Dominico Totto nobili ac factioso juvene, ac Alexandro Morovello, aliaque clientum manu, in praetorium citato agmine, ut vi reum eriperet, iter instituit. Sed obseratis foribus, dum alii insertis securibus laxare, alii injecto igne incendere moliuntur; interim

Galvanus in palatium ad decemviros progressus, jurgio ac minis ni affinis dedatur, rei novitate suspensos terret. Vincentio ac Nicolao interea per urbem populum ad arma ac faces vocantibus. quare cum in re trepida decemviri senatum vocari jussissent; atrox facinus indignitate sua mentes omnium novo terrore implevit. Nam Tottus Joanni Franco egregio civi, et qui jam IV. decemvirorum princeps fuerat, in curiam eunti obviam factus, seu vetere odio, seu tunc exortis causis, multis illatis vulneribus eum foede obtruncavit. Jam frequentes in curiam patres convenerant, fortiterque dictis sententiis, decretum ut Joannes Franciscus statim supplicio afficeretur. itaque sine mora faucibus laqueo insertis, temeritatis impietatisque poenas luit. caeteri cum se fuga subtraxissent, hostes judicati. cum Galvano, qui in urbe substiterat, mitius actum; ut cum sene, et quem justus dolor movisset; honoribus tantum in perpetuum ademptis. Hac severitate religionis violatae poenas patres expetivere. et certe ea tunc aetas inciderat, ut verae religionis amore armandum pectus esset, quo gliscenti impietati fortius obsisteretur. nam eo qui excepit anno (1) Martinus Luthe-

(1) Ann. 1517.

rus religioni bellum indixit, novas impiasque opiniones serendo. tanto successu, ut non solum ea pestis brevi Germaniam unde illi apud Saxones genus, sed universa septemtrionis regna veluti contagione corriperet. in Galliam etiam Britanniamque transgressa, tentataque non adeo feliciter Italia: dum per initia id malum lentis lenibusque remediis fovendo, curatione ipsa alitur. quo exemplo alii atque alii passim exorti talium rerum magistri, feraci hujusmodi monstrorum saeculo, etiam in urbe nostra intactum religionis decus foedassent; nisi solers patrum custodia, pestifera crescentis mali semina, utili severitate oppressisset. Sed haec in futurum, et ex longinquo. propinquior a Laurentii Medices ambitione clades instabat. quippe hoc anno, non unis nec ex uno loco auctoribus, trepidi nuncii afferebantur, pontificias copias, quae in Urbinati tendebant, ad Lucam obsidendam venturas. quare patres eo periculo moti, collocutis ante inter se civibus, decrevere, ut ad Joannem Jacobum Trivulsium, qui regis nomine Insubriam regebat, orator mitteretur: ne sociam amicamque urbem (jam enim rex Lucam in clientelam susceperat, Lucensesque foederi, quod cum Hispano jungere parabat, sociis amicisque adscripserat) praedam hosti-

bus esse: eamque maculam regio nomini gloriaeque haerere sineret. Datum quoque in mandatis Hieronymo Bonvisio, qui Lutetiae Parisiorum publica negocia curabat, ut cum rege, eisque, quos rex in consilium adhibere solitus erat, eadem ageret; officiique admoneret, quod ex foedere sociis praestare teneretur, si regiam fidem inviolatam sanctamque cuperet. Sed sive pecuniariae rei difficultate, qua pontifex laborabat, DCCC. aureorum millibus metaurensi bello profusis; sive affecta Laurentii valetudine, longas magnasque spes inchoare prohibente, id consilium eo tempore intra cogitationem stetit. Soluti eo metu patres, omissa belli cura, pacis rebus incubuere. interque eas Gerardus Sergiustus, qui se deinde graeco nomine Dicaeum appellavit, juvenis ingenio ac literatura inter eximios ejus aetatis, publicae eloquentiae professioni admotus est. quam egregia fama plures annos tenuit. Aedificiorum quoque utilitati consultum: vetitumque abiegnas arbores passim caedi, quae in Castellionensi praefectura complures erant. cujus salubris consilii a posteris neglecti detrimentum hac aetate sentitur: qua ingenti labore ac impendio ea materia ex longinquo alienisque montibus petitur. Hoc anno cum Sistum urbis antistitem extremum spiritum Romae

trahere senatus intellexisset; Silvestro Gilio ac Bartholomaeo Arnulphino imperavit, ut pontificem publico nomine adirent, orarentque ut si antistitem explere mortalitatem contigisset, successorem ei lucensem civem dare vellet. nil tamen impetratum: cum Leo verborum comitate contentus, quacumque re posset, parum aequum Lucensibus se praeberet. itaque Gara extincto sacerdotium Raphaeli Riario, cujus inter purpuratos magnae opes, nec minor gratia erat, delatum est. ea renunciatione audita, patres illi publice gratulati, eum in urbem invitavere, ut ejus praesentia quamprimum fruerentur. Adjecere gratulationi preces, quibus orabant, ut solutos sacerdotum mores arctiore disciplina coercitos, antiquae sanctitati restitueret: sacerdotia, cum morte vacua esse contingeret, plerumque civibus tribueret: vicariamque potestatem externo homini committeret. Sed brevi, sacerdotio in Franciscum Riarium, Hieronymi Forocorneliensium olim dinastae filium, quem materno cognomine Sfortiam appellabant, translato, ea in irritum cecidere. Per haec insequens annus (1) aderat, reipublicae turbidus belli metu, quod et a

(1) Ann. 1518.

pontifice, et a Florentinis imminebat. quippe ille, ut ingentis spiritus, ac profundae cupiditatis, nunquam quieturus videbatur, nisi tandem voti compos fieret. hi pisanos bello superiore adjutos, moramque victoriae adhuc concoquere nequiverant; omnesque incessendi causas avide rimabantur. quae sollecitudo aucta etiam est, postquam toto Florentinorum imperio nunciatum, passim conscribi milites, agrestiumque cohortes, maxime ad Lucensium fines, armari. intendebat curas orta nuper discordia inter Pontitenses, Pupiliensesque ad Pistoriensium fines, de agro quem utraque gens suum esse diceret. nunciabaturque montanos toto ejus regionis tractu in armis esse: Pupilliensibus in ultionem accensis, cum, obviis forte nostrorum manipulis conserta pugna, tres suorum amisissent, nullo ex parte Lucensium caeso aut vulnerato. quare ut in expectatione belli cuncta suspiciosa et anxia erant. Patres frequentes in curiam convenire; moenia, ac portae intentius diu noctuque servari; stationes vigiliaeque omni cura agi; murorum novum opus festinato labore urgeri. praeter haec diversi clam in varias partes dimissi, ut consilia hostium famamque captarent. tum Ambrosius Boccella ac Thomas Pinius lecti, qui de componendis montanorum controversiis agerent.

Inter belli curas alendae plebi pacis tempore consultum. Abundabat populo civitas: itaque actum de lanificio restituendo, quod florente tunc maxime sericae artis industria, pene exoleverat. decretaque e publico pecunia, emptaeque aedes, ac instrumenta ejus opificii comparata. Patribus prudenti cogitatione prospicientibus, unica arte civitatem ali non posse: parandumque numerosae plebi subsidium, ut una remittente, ut fit, in altera spes esset. Neque tamen acerbitas temporum, diu his cogitationibus senatum incumbere sinebat. quippe sequenti anno (1), imminentis a Leone ac Florentinis belli renovatus terror, animos ita perculit, ut desperatio pene retinendae libertatis incesseret. nam junctis pontificis maximi Florentinorumque viribus, suspecta regis fide, qui cum pontifice sentiebat, qua ratione rempublicam tantae moli parem futuram; nullo amicorum ferre opem contra tanta nomina ausuro? Tamen in iis difficultatibus utcumque sustentabatur; et quamquam pene desperatis rebus; deserti a cunctis se patres minime deserebant. itaque caelestium pace suppliciis ante votisque implorata, nihil quod humanae opis

(1) Ann. 1519.

esset, omissum. nam et egregios bello duces, et excutiendorum tormentorum arte peritos fabros, externumque militem conducendum decretum. Vigiliae stationesque intentiore cura actae; biniqne praefecti, aucto vigilum numero singulis portis impositi; lectique XVIII. viri, qui negocia belli curarent. ducenti quoque pedites e municipiis montanis, solutis ordinibus, ne suspiciosa res esset, in praesidium urbis acciti, ac per civium domos distributi. provisumque ut quammaxima commeatuum copia in civitatem inferretur. tum arma ex agro cuncta in urbem invecta, soloque proxima moenibus aedificia aequata. admoniti etiam agrestes, ac praecipue curiarum sacerdotes, ut quae cara ac eximia haberent, in urbem custodiae causa comportarent. Praeterea in Galliam ad Urbanum Parensium datae literae cum arcanis mandatis, ut cum rege, quique illi a consiliis essent, ageret. missique, dissimulata causa, alii Genuam, alii Venetias Ferrariamque, qui reipublicae statum docerent; opemque implorarent. Missus ad Lautrechium qui Mediolani pro rege erat, legatus qui illum regiae clientelae fideique in tam asperis rebus admoneret. curatumque ut Romae per antistites Gilium Arnulphinumque, omnia pontificis consilia explorarentur. in primis antem colli-

gendae pecuniae cura habita, cujus non minor quam armorum in bello usus. Intendebant haec pericula Montanorum discordiae, quae levibus exortae causis in dies gliscebant. quarum veluti contagione, proxima Florentinorum oppida afflata, in arma caedesque exarserant. tam efferatis in odia animis, ut ipso sacro Dominicae Coenae die, sceleratorum manus ex Bargaeis, Feroniensibus, Gallisque Cisalpinis conflata, ad LX. Corelliam ingressi, in templo ipso, inter sacra et altaria sex adversae partis foede trucidaverint. Sed fortuna lucensis populi tam certum amittendae libertatis discrimen repente discussit, opportuna Laurentii Medices morte: qui longa valetudine, ac tabe confectus VIII. Id. maii hujus anni extinctus, Lucensibus metus, Leoni cupiditatis finem fecit: cum praecipue nulla relicta virili stirpe, non esset cui imperium quaereretur. dissimulatum tamen gaudium, missique qui Julio Cardinali Medices, cui Laurentii obitu florentinae reipublicae arbitriun cesserat, Florentinorumque magistratibus publicum dolorem testarentur. jussus quoque antistes Gilius pontificis maximi lacrymis, reipublicae nomine solatia adhibere; nullo credente ea ex animo fieri, qui Laurentii, Leonisque cupiditatem novisset. Sed eadem dissimulatio qua cum vivente actum, etiam

post mortem duraverat. cum patres unicum libertatis suae hostem, in literis ad eum datis, *omnium amicorum amicissimum appellarent*. Veriore vultu animoque actae superis gratiae; sacello Divae Virgini, quod per eum timorem votum erat, in aede Pontiani dicato: pecuniaque in bellum collecta, in pios usus liberaliter erogata. Praeterea ut quotannis feria VI. post dominicam resurrectionem per urbem supplicaretur, patres sanxere. ejusdem beneficii rati non amissam ac receptam libertatem. Neque tamen intactus a Leone is annus Lucensibus abiit: toto regionis ad Naevulam amnem sitae tractu, oppidis pagisque frequenti, a lucensi sacerdotio divulso: patribus per Vigorniensem inanibus querelis apud pontificem eam injuriam conquestis. Eodem anno cum Franciscus Mantuae regulus obiisset, patres, qui Fridericum de parentis morte consolaretur, eique principatum gratularetur, misere. Idem annus Maximiliano imperatore extincto, successorem ei Carolum Hispaniarum regem, comitiis septemviralibus dedit: magno Francisci regis dolore, nec minore ira. quippe ingenti duorum regum ambitu de summa spe certatum: donec studia in Carolum germanica stirpe, claroque Austriadum sanguine ortum inclinavere. unde acerba utriusque odia, bellaque

ex bellis sata, quae christianam rem tamdiu afflixere. Erat Carolus eximio juventae flore, unde vigesimum annum non egressus, regum caesarumque antiqua soboles, suisque virtutibus eo fastigio dignus: cui deinde complura bella, clarissimaeque victoriae, famam laudemque mansuram apud posteros peperere. Lucensibus praecipue memorandus, quos parentis loco ad extremum usque spiritum, et ultra dilexit. ad eum salutandum sequenti anno (1) patres Bonum Franceschium, Nicolaum Cenamum et Stephanum Bernardum legere. Vigorniensi antistite praecipue hortante, ut festinato officio novi principis animum occuparent: longe minore gratia futuri, si postremi, et veluti detrectantes venissent. Sed cum Bernardus valetudinis excusatione usus esset, accepta causa, Joannem Guinisium suffecere. Hoc anno patres soluti metu, a belli curis ad literarum studia animum transtulere. creatique sex viri, qui studiis praeessent e principibus civitatis, Petrus Ciomeus, Joannes Paulus Gilius, Lazarus Arnulphinus, Caesar e Nobilibus, Blasius Maeus, Joannes Bernardinus: quorum quidam sapientia, alii summis honori-

(1) Ann. 1520.

bus, gestisque legationibus insignes: iisque in mandatis datum, ut si quem erecti vividique ingenii juvenem, quique egregiam de se spem faceret, invenissent; judicio professorum de eo ad senatum referrent; qui per eosdem studiorum praefectos honestum ministerii locum, aut in romana aula, aut apud regulum quempiam iis quaereret: vel in publicam aliquam academiam, excolendo majoribus artibus ingenio, sumptu publico in triennium mitteret. quod decus Vincentio Saminiatio, primum contigit. Tanta tunc egregiarum artium, fovendique juvenum ingenia senatui cura erat: quae nunc per inertiam luxumque consenescunt. Eodem anno cum per lasciviam noctu pulsata vigilum cohors, unusque ex eis caesus a quibusdam Podiorum esset: sublatisque deinde vocibus, eidem Podiae familiae acclamatum, veluti futurorum omen: ea re ad senatum delata, patres gravi denunciatione, privatarum familiarum nominibus, favore aut odio, acclamari vetuere. nec minori severitate coerciti, qui lictores ferro, aut alia vi, ne nocentes obaeratosque in vincula ducerent, prohibere ausi essent (1). Interim in Italia labantibus Gallorum

(1) Ann. 1524.

rebus; veluti fortuna ad novum caesarem transfugisset, ingens cura patres incesserat. « nam
» et eos deserere in quorum clientela tot an-
» nos vixissent, turpe; ruinis autem eorum
» involvi, qui nullo aut parvo usu fuissent,
» stultum videbatur. praecipue mentem subi-
» bat, Lucam mediolanensi dominationi cogna-
» tam, ac veluti innexam, semper ab eorum
» partibus, qui id imperium tenuissent, stetisse.
» quare Gallis Insubria exactis, frustra ab iis
» opem expectari, qui satis sibi non fuissent.
» si quid accidat, hostes in propinquo, ami-
» cos trans Alpes futuros; qui prius funus
» reipublicae, quam valetudinem sciant ». Inter has cogitationes caligantibus mortalium consiliis, enixe a Deo optimo maximo petebatur, ut eam mentem civibus daret, qua summae reipublicae salubriter consuleretur. nec vota in irritum cecidere. quippe senatui, Gilio antistite literis urgente, ea tandem deliberatio sedit, ut Caesar e Nobilibus ad Carolum orator extra ordinem mitteretur, oratum ut vetera civitatis privilegia ac immunitates ratas esse vellet: clientelamque urbis romano imperio fidissimae suscipere minime gravaretur. Caesar legato benigne audito, Leone etiam pontifice adnitente, qui Gallos Italia omnino exactos, sero tamdem sapiens, cupiebat, Lucenses in fi-

dem accepit, liberosque ac immunes, ut antea esse jussit: datis ad neapolitanum proregem, ac Prosperum Columnam, qui Romae ejus negocia procurabat, literis, ut Lucensibus quacumque re egerent, omni ope adessent. Quod Lucam nunciatum, ingenti gaudio cunctos affecit. postque relatas superis grates, caesari donum X. millia aureorum decreta. missique Neapolim Joannes Guinisius, ac Romam Stephanus Bernardus cum imperatoris codicillis, quos proregi, ac Columnae redderent, iisque rempublicam commendarent. addito in singulos, momentum precibus, bis mille et quingentorum aureorum dono. tum XII. viri creati, quibus una cum principe collegii potestas esset cum caesare aut ejus procuratoribus transigere: nec non foedus amicitiamque cum quibusvis regulorum, aut liberarum gentium sancire, integra semper lucensis populi libertate. Hoc anno in urbem primum venit antistes Riarius, exceptusque solemni pompa est, principe decemvirorum cum duobus collegis illi ad portam usque obviam progressis. quo tempore tumultu exorto, dum velum quo is tectus incesserat alii rapere, alii retinere certant, Raphaele Tegrimo antiquo familiae jure ad se pertinere vociferante, Michael Burlamaccus princeps, publicaę majestatis oblitus, in pala-

tium conversis habenis solus profugit. Fine anni de inopinata Leonis morte allatum est; quem veneni longa tabe extinctum rumor fuit, eorum arte suppressus, quorum intererat clementiae famam in futuras spes non laedere. periit in ipsa liberatae Italiae gloria, cum paulo ante Mediolani a caesarianis recepti, laetas felici nuncio literas accepisset. Princeps innocentia morum, benignitate, ac magnitudine animi memorabilis: amore praecipue in egregias artes, quas familiae quodam veluti tradito jure fovit. nisi quantum juvenilibus studiis, ambitione praeterea ac cupiditate, magnorum ingeniorum vitiis, eas laudes inumbravit. immodicus praeterea largitor, sui alienique juxta prodigus. Cum de ejus excessu nunciatum esset sub vesperam III. Non. decembris, quo tempore festi in honorem Piccinini anniversaria laetitia ignes excitantur; nihilque de antiquo more remittendum decemviri censuissent; quam temere vulgatum tam facile creditum, Lucenses Leonis morte publico gaudio minime temperasse. quae fama cum Florentinorum arte praecipue manasset, veritate in publicum extracta, discussa est. Licet enim Leo secus de republica meruisset, tamen insita Lucensium erga summi sacerdotii dignitatem veneratio, eam suspicionem purgabat. pessimi

quippe exempli fuisset, ejus manes sollicitare, quem viventem, quamquam rebus suis parum aequum, patres tam religiose coluissent. Successit illi sequentis anni (1) initio Hadrianus VI. in Germania inferiore apud Batavos ortus, absens in Hispania renunciatus. vir antiquis moribus, insigni literatura, prisca sanctimonia, severus gravisque, et ad ejus aetatis ingenium minime factus. quae egregiae virtutes, aulae veteres comparatione, tantum illi apud bonos laudis, quantum apud malos odii invidiaeque peperere.

(1) Ann. 1522.

LIBER XIII.

BREVIARIUM LIBRI

Respublica domestico scelere turbatur. Podiae familiae potentia. aliorum in eos invidia. Vincentii Podii, ac Dominici Totti mores. turbae ob sacerdotium D. Juliae. Podii se se iis immiscent. per vim sacram aedem occupant. coetus juvenum in ea habent. civium ob eam rem querelae. Hieronymus Vellutellus vexillifer negocium ad senatum refert; acrique oratione Podios insectatur. Podiorum in eum ira: illum in palatio confodiunt. Dominicus Tottus Lazarum ac Petrum Arnulphinos eodem tempore vulneribus pene conficit. civitatis ob principis necem consternatio: Tottus plebem seditiosis vocibus sollicitat. Podii a propinquis deserti. Patres per nuncios cum iis agunt. superbum responsum referunt. Bartholomaei Cenami egregia in rempublicam fides. Podii vicum aedesque muniunt. Decemviros praeter ipsorum aedes transeuntes venerantur. Maximum Gratum ad senatum legant. civitas arma capit. vexillum libertatis per urbem deferendum populo traditur. Laurentius Parpallionus patres acri oratione incendit:

qui ultionem sine tumultu cupiunt. Tottus iterum populum sollicitat. Podiorum animi consensu civium fracti. quidam eorum senatui se dedunt. alii diffugiunt. Vincentius Podius incolumis urbe emittitur. plebs annona delinitur. Podii supplicio affecti. miserandus unius eorum casus. percussores qui evasere alii judicati hostes, alii relegati. Podiorum familiae adempti honores. alia senatusconsulta in eos facta. acerbitas ultionis excusatur. funus Vellutello publice factum. Vincentius Podius duoque alii e consciis Romae periclitantur. infelices omnium fere conjuratorum exitus. Caesari pecunia subventum. foedus cum Hadriano pontifice in Turcas ictum. qui paulo post moritur. ei succedit Clemens VII. Lucensibus amicus. Urbs quingentorum militum praesidio firmata. Caesaris, et Francisci regis discordiae christianae reipublicae exitiales. Stuardus regis praefectus agrum infestat. superbia hominis retusa. Francisco ad Ticinum capto in Gallias redit. Vincentius Podius per dolum Luchio oppido potitur. ejus situs ac munitio. obsidetur a Lucensibus. Podius illud fuga deserit. obsidentes astu fallit. Francisci Minutoli egregium factum. antiquae religioni tuendae incumbitur. pax inter caesarem regemque sancita. Milietus insignis sicarius agrum vexat. Roma a Columnensibus capta ac direpta. eadem a Borbonii militibus capitur diripiturque. Florentini in Mediceam familiam saeviunt. Alexander, ac Hippolitus Lucam confugiunt foventurque. Clemens ob

eam rem gratias senatui agit. annona laboratum. caritati pestilentia succedit. paterna in subjectos patrum cura. Respublica XII. viris permissa. pax inter caesarem regemque iterum composita: a qua Florentini exclusi. Caesar Clemensque Bononiae conveniunt. de mutando florentinae reipublicae statu decernunt. bellum Florentinis a caesare illatum. Clemens pecunia adjutus. Alexander Medices Florentinis impositus.

Continet Acta Annorum VIII.

ANNALIUM
AB ORIGINE LUCENSIS URBIS
LIBER XIII.

Quieta externis malis respublica, domestico scelere petebatur: quod privatis causis exortum, fieri publicum placuit: ut civitati anceps, ita auctoribus exitiosum: et animis utrinque accensis, si verum fateri licet, nec patrando, nec ulciscendo modus servatus: exactis tam severe suppliciis, ut pene fuerint pejora remedia quam mala. Podiorum gens, jam inde a priscis temporibus ob nimiam potentiam populo suspecta, cum caeteris, quae populare imperium nobilitate sua premere videbantur, a reipublicae administratione submota fuerat. Mox Guinisiorum ope per XXIV. viros reipublicae constituendae, anno 1392. restituta, honores ambitione amissos, fide receperat. Sed ob insitam superbiam etiam amicis gravis; dum Guinisiam gentem, quae hactenus principatum tenuerat, viris grassante pestilentia exhaustam, in ordinem cogendam ferocius, quam consultius jactant, occasionem Paulo prae-

buerunt, amicis adnitentibus, dominatum arripiendi. Post imperium Pauli, recenti adhuc invidia, Podii liberum spatium nacti, ad se omnia trahere ceperunt. honores, magistratus, legationes, caeteraque reipublicae munia in unam domum congesta. Vetus in ea nobilitas, magnae opes, gens in plures familias propagata, et juventutis flore felix, multae affinitates, nec minores clientelae animos faciebant. Nec minus momentum ad ingentes spiritus, quod omnium aedes propinquae sibique mutuo haerentes, quod vicus, forum, porticus eorum nomine appellata: tamquam alia quaedam in ipsa urbe civitas. Accedebat favor populi, quem victu cultuque splendido, tenujorum patrocinio, comitate alloquii, ludis ac voluptatibus, aliisque demerendis vulgi animis artibus, sibi paraverant. quippe quum e fundis praediisque abunde in sumptus opes suppeterent; studia quaestus lucrique, tamquam parum ingenua aspernantes, fortunae liberalioris cultu per otium luxumque vitam ducebant. Haec, sive alienae felicitatis invidia, seu quod magis credere libet, amor libertatis, cui nimia illa, et jam civilem modum egressa potentia, gravis aliquando futura timebatur, caeterae nobilitati suspecta fecerat. « Non de nihilo » majores ei familiae pennas incidisse. intra

» annum XLV. postquam honoribus restituti
» sint, unum ex decemviris, nulla reipublicae
» reverentia foede trucidasse. notam eorum
» superbiam, nec intra privatum fastigium man-
» suram, nisi ambitioni mature obviam iretur,
» centum annorum spatio XII. ex podia gente
» principes decemvirorum extitisse: interque
» eos quosdam novies repetita dignitate. non
» expedire intra unam domum omnes purpu-
» ras, omnes fasces congeri. verendum ne de-
» cora quae modo pene continua sunt, ali-
» quando malint esse perpetua. Itaque e re-
» publica esse eos aliis aequari. proinde in
» legendo senatu, in comitiis nitendum, ut
» paucioribus, quam antea honos mandaretur.
» quoque id minus suspectum foret, novis
» hominibus rempublicam aperiendam, ut la-
» xiore capientium numero, facilius illi exclu-
» derentur ».

Manaverant ea consilia quamquam occulta; et studia nobilium erga homines novos fidem adstruebat. Movit ea res Podiorum animos: interque eos de malevolorum injuriis acerbe queri caeptum. et quamquam morsum animi sapienti dissimulatione obtegerent, tamen ut quisque ferox ingenio, aut linguae intemperantis, apud socios, apud amicos interdum verba jaciebat, quibus occultas iras promeret.

» indignis hominibus honores dari. paucorum » aemulatione, ac invidia prodi rempublicam. » non passuros obsolescere familiae suae splen» dorem. non ita meritos, quorum majores » virtute ac consilio saluti reipublicae toties » fuissent ». Erat iis temporibus gentis universae Philippus facile princeps, opibus, auctoritate, existimatione, quam egregiis virtutibus, gestisque honoribus comparaverat. quare a caeteris veluti parens colebatur: eumque retinendae antiqui decoris imagini, inani titulo comitem appellabant. Inter caeteros liberos, quos ex Sueva, eadem stirpe genita sustulerat, Vincentius eminebat, eximio juventutis flore, decoro vultu, ac totius corporis habitu, qui avitam nobilitatem referret. Sed longe ea corporis bona anteibat ingens animi vigor, mira in agendo comitas, fides erga amicos, et conciliandis amoribus vulgi apta popularitas. Sed idem fervido, ac feroci ingenio, nulla dissimulatione: et injuriae cujusvis male patiens, ac in ultionem praeceps. illum genitor, veluti quadam divinatione futuri, ut feroces spiritus frangeret, religioni sacrisque destinaverat. Sed ingentis animi adolescens quietam segnemque vitam aspernatus, mentem a numinis cultu ad armorum studia deflexerat: proque sacris carminibus precibusque, arma, equi, jaculatio,

saltus, illius artes erant. Hunc, patre jam extincto, nobilissimae familiae evertendae fata legerunt. Et ne per se furenti incentor deesset, insinuaverat se in ejus familiaritatem Dominicus Tottus, nobili loco natus, sed inquies et pravus, cui attritis opibus mala res, spes asperiores erant. ambitione, fraude, malisque artibus publice invisus. ausus etiam virilia scelera, ne tantum flagitiis notesceret, Joannem Francum civem primarium, pluries decemvirorum principem, extrema senectute, ob dictam libere sententiam, in ipso curiae vestibulo foede trucidaverat. Hunc omnium consiliorum conscium, omnium temporum arbitrum Vincentius ceperat: quantam sibi suisque pestem foveret, ignarus. quem exulem ac extorrem, maligna ipsius fortuna fatali articulo Lucam adduxerat beneficio senatus libero quatuor mensium commeatu impetrato. Hic animorum erat habitus, haec parata instrumenta, cum hujusmodi turbandi occasionem adversa urbis sors tulit: levem illam, sed quae prava animorum contentione provecta, in atrox scelus eruperit.

Excesserat decembri mense superioris anni 1521. Michael Orsuccius, unus ex majoribus martinianae basilicae sacerdotibus, cujus curationis erat aedes D. Juliae; modica illa

quidem, sed, quod cupidis instar magnae religionis est, opulento sacerdotio dives. homines curiae, quorum jus erat alterum in demortui locum sufficere, ad comitia convenerant. sed scissis in diversa studiis, cum alii Henrico Boccellio nobili juveni, alii Leonello Cibo, qui antistitis in urbe vices agebat, extero homini faverent, locus adhuc vacabat. Inter haec dissidia Bartholomaeus Arnulphinus patricia gente, qui tunc inter praesules Romae agebat, ex aulae more, hujusmodi occasiones venantis, qua pollebat gratia, sacerdotium tamquam vacuum impetravit; ejusque possessionem per procuratorem, ope decemvirorum adivit. quod ubi per urbem fama vulgavit, curiae homines indigne ferre antiquum jus sibi de manibus eripi: supra invidiam facti incendentibus praecipue illorum iras, qui ei spei imminebant. Inter caeteros qui Leonelli causam tuebantur, primae Podiorum partes erant: qui sive clientis studio, sive ostentandae potentiae, vim aggredi decrevere. ducem se audaci consilio obtulit Vincentius, Nicolao Fatinello adhortante, nobili aeque ac factioso juvene, et qui sacri ordinis, cui addictus erat, parum meminisset. Hi adjuncta nobilium juvenum manu, qui Podiam gentem propinquitate, aut alia necessitudine contingerent; inter quos Totti

patrueles Dominicus et Laurentius audacia et scelere eminebant, noctu admotis scalis aeditui domum expugnare adhorti, vi et armis, qui locum pro Arnulphino obtinebant, deijciunt. ibi comportatis telis, cum se contra vim, si qua ingrueret, communissent, velut in castris militiae more agebant. confluebat eo nobilis juventus vitam per otium ac lasciviam degere assueta: praesertim ut quisque affinis aut amicus Podiorum, qui a Vincentio comiter excepti, per convivia ac ludos; nec minus per voluptates honestas detinebantur. nam aut saltu aut jaculatione luctaque, aliisque equestribus ludis corpora exercebant: quae ut aetati ac natalibus non indecora, ita temporis locique importunitate in deterius trahebantur: iique coetus, veluti publicae libertati obstantes, in ore vulgi sermonibus erant. Sed praecipue patriciorum plerique, quibus attentior reipublicae cura, insuetam liberae civitati licentiam aegre accipiebant, malosque exitus ominabantur.
» Podiorum familiam insita superbia semper rei-
» publicae gravem. nescire intra privatos fines
» consistere: et in quam vergeret partem, sem-
» per immodicam. quietis consiliis abhorruisse,
» etiam cum senum auctoritate regeretur. quid
» nunc sperandum ab unius temerarii ac im-
» providi juvenis audacia, cujus ferox inge-

» nium, insuper praecipitibus Totti hominis » perditi ac desperati consiliis agatur? quid » attinuisse fovere peregrini hominis causam » adversus civem, nisi pravo studio premendi » nobilitatem, a qua se jamdiu laesos queran» tur: jaciendique semina civilium discordia» rum, in quibus, ipsis per tumultum ac se» ditiones ad res novas aditus pateat »? Haec in foro, in coetibus audiebantur, nulla adhuc publica cognitione: rem ad senatum referre cunctantibus de industria decemviris, spe interim spatio posse mitigari animos, ac per homines medios ex aequo bonoque transigi. Sed res obstinatione partium in dies fiebat acerbior; et Arnulphinus literis plenis querelarum ad senatum datis, invidiose incusaverat; « in libera » civitate, ubi aequo jure vivatur, licentiam » impune grassari. pelli possessione per inju» riam homines nobiles, quibus, quod etiam » ultimae sortis hominibus in privata gratia » fas est, non liceat beneficia summorum pon» tificum tueri. proinde fidem publicam implo» rare, ut ea manum dante, jus suum recu» perare, ac obtinere posset ».

Mos est, quotiescumque arduum aliquid reipublicae ingruit, frequentes cives in curiam per decemviros advocari, eorumque sententias exquiri, nulla suffragiorum ac decernendi po-

testate: quem conventum, quod voce tantum, et colloquendo res agantur, colloquium appellant. Sententiae interdum ad senatum referuntur, a quo quae majori parti visa fuerint, senatus consulto decerni solent: interdum vero sine auctoritate senatus, ubi ea opus non esse judicatum sit, id consilii capitur, unde major pars stetisse videatur. Eum conventum his literis acceptis decemviri vocari jussum de rerum statu docent, ac in medium consulere hortantur. multae in utriusque familiae Podiae Tottaeque homines jactatae querelae, quorum audacia quies publica turbabatur: tamen lenta, ac mitiora consilia plerique spectare videbantur. « posse mora profici, et quamquam sera, » nimium semper extrema remedia festinari. » esse receptui locum, donec auctoritas pu» blica in integro esset. exuta semel reveren» tia, non posse salva reipublicae majestate, » injuriam dissimulari. bonos patres saepius » pietate peccare: laetarique filiorum poeni» tentia potius quam poena. tarde abrumpenda » caritatis vincula inter rempublicam et cives, » quae raro iterum nectantur, nunquam coeant. » quare bona spe alendum Arnulphinum, ac » interea sex viris dandum negocium, qui se» dulo curent, ut per mutuam gratiam partes » concilientur ». In hanc sententiam discessum.

civesque quibus ea curatio obvenit, strenue operam navare incipiunt, si qua discordes animos lenire, ac inter se componere queant. sed odiis in dies crescentibus, omnia in irritum cadebant: quae prava malevolorum sedulitas, verba et querelas ultro citroque convectantium intendebat; prona eorum fide, a quibus male relata, pejus credebantur. Itaque sex mensium dissimulatione eo deducta erat, ut jam sine malo publico trahi ultra non posset, quin ad senatum referretur. quare julio mense Hieronymus Vellutellus princeps decemvirorum, de collegii sententia, vocatis patribus, in hunc modum loquutus fertur. « libenter P. C. eorum exemplum sequutus, qui » hoc anno ante me hunc locum honoris te» nuerunt. ab eo negocio abstinuissem, quod » mihi plenum invidiae, plenum periculi, ani» mo providerem. Sed cessare cupienti ipsa » respublica manum injicit, trahitque vel invi» tum patriae amor, cui servandae nunquam » satis cautus quisquam videri potest. ut si » in alterutram partem peccandum sit, boni » civis sit malle nimis sollicitum existimari, » quam nimium securum. Nec ego illorum con» silium accuso, qui tamquam sapientes me» dici, posse malum sanari tempore arbitrati, » lenibus fomentis egere, ne vulnus ipsa cu-

» ratione irritarentur. Sed jam dissimulatione » malum crevit: et nisi sedulae manus admo» veantur, periculum est ne pars sincera ci» vitatis contagio trahatur. Scio me, de indu» stria ambages quaerentem, jam nimium in» telligi. et ego equidem nominibus parcere » cuperem, nisi auctores facinoris, exuta reve» rentia, nimium ipsi se proderent. Quem » vestrum latet, P. C. quemadmodum per hos » menses Vincentius aliique e Podia familia » eorumque armigeri et stipatores, quorum » se principes jactant Dominicus et Lauren» tius Totti, homines factiosi et audaces, ege» rint? quas injurias irrogarint? quemadmodum » vi et armis homines nobiles e possessione » dejecerint? omnia denique humana ac di» vina jura perverterint? Et tamquam hoc pa» rum esset, confluit ad eos quotidie nobilis » juventus, per otium ac lasciviam tempus » teritur, coetus perditorum aguntur; et ut » quisque obaeratus afflicta re domestica, aut » pravis moribus, eo tamquam in asylum con» fugit: ut jam non dubie res ad seditionem » et tumultum spectare videatur. multi prin» cipes viri privatim, multi publice eos ab » hoc consilio dimovere conati sunt; utrique » parum feliciter, et infectis rebus repulsi. » Quid expectamus P. C. ut arma capiantur?

» ut vexillum seditiosorum erigatur? ut obaeratorum manipuli ducem nacti, in publicam libertatem, in privatorum fortunas, in capita ac cervices nostras desaeviant? Credite mihi P. C. aliud quippiam, quam privati hominis studium, cui sacerdotium quaerere videri volunt, hac specie latet. Falsus utinam vates sim, et in caput meum potius fortuna populi lucensis omne convertat; sed incendium civitati imminere video, quod non sine multorum sanguine extinguatur. Quare opprimendam exorientem scintillam censeo: ne late per publicum privatumque pervaganti sero occurramus. Igitur abiectis privatis rationibus in medium consulite, et vos de libertate, de patria, de universa republica sententiam dicturos cogitate ». Atrox et horrida, ut erat, principis oratio visa, iis praecipue, qui aut affinitatibus, aut clientelis innexi Podiis erant. utque ad rogandas sententias ventum est, alii elingues, quidam ambigue per metum animum promebant. et ii quoque, qui illos premi occultis votis gaudebant, metu offensionis, cum de quiete publica loquerentur, suspensi et vitabundi Podiorum nomen circuibant. Solus Lazarus Arnulphinus, humani divinique juris consultissimus, gravi querela orationem principis insuper oneravit. quae

libertas ipsi pene in exitum vertit. eo tamen die nihil pervinci potuit.

Dimisso senatu, statim prava serentium odia sedulitas, verba principis ad Vincentium Podiosque detulit; quae per se tristia, etiam in majus attollebantur. Sed nihil aeque dolorem movit, ac invidiosum asyli verbum, quo tamquam aliqua perditorum colluvies notabantur. « ergo minaciter cuncti strepebant, enim » vero se superbe nimium jamdudum contemni. » non existimationi, non honori suo parci. no» bilissimam totius Etruriae familiam tamquam » aliquam improborum luem infamari. non » expectandum ut indigna et atrocia verba, » in atrociora facta conferrentur. Itaque pa» lam minari nobilitati, sed praecipue prin» cipi, qui eorum nomini tam proterve insul» tasset ». nec minus Totti irascebantur, quibus veteres in Vellutellium simultates, tamquam eorum rei domesticae aliquando adversatum. Quare in eo calore Vincentius, praeceps consilium ab ira mutuatus, trucidandum principem clamitat. Temerarium inceptum Laurentius ejus germanus, aliique e familia quibus aetas provectior, aut rerum usus, damnabant. « acerbam indignamque Podio nomini » contumeliam a principe illatam, et insigni » exemplo vindicandam: sed tutius differri

» ultionem, donec magistratu abiret, donec
» purpuram exueret. aliter laedi majestatem
» senatus, libertatem reipublicae, speciosa ae-
» mulis nomina, et magnam invidiam conci-
» tura. privatas injurias in principe non vin-
» dicandas, quem ipsum nomen et reipublicae
» veneratio sacrosanctum ac inviolabilem red-
» dant. non imbuendum rursus sanguine de-
» cemvirali mucronem, adhuc stillantem Petri
» Cenami cruore. Num familiae Podiorum hae-
» reditarias esse decemvirorum caedes? factu-
» ros suspicionem eos plus quam civilia animo
» agitare, si in ipso sacrario publicae maje-
» statis illum interfecissent. cavendum ne dum
» verborum acerbitatem ultum eunt, atroci-
» bus factis occasionem praebeant, quibus ut
» sine modo, ita sine misericordia premantur ».
Sed ferox Vincentii animus tantam iram conceperat, ut sana consilia non caperet. id ipsum quod atrox ac plenum periculi facinus videbatur, illum incendebat: vilem Vellutellii sanguinem existimans, quem in principatu non effunderet. « injuriam a principe irrogatam, in
» principe vindicandam. quid praeclari, quid
» Podiorum potentia dignum habere, quod
» cuivis e plebe infima liceat, privatum ag-
» gredi, unum civem inermem ac destitutum
» occidere? confodiendum in ipsa decemvirali

» domo, in ipsa augusta principatus sede, in » ipso reipublicae sinu; ne quis se ulla maje- » state satis armatum existimet, ut ei Podios » impune laedere liceat. tantum ipsis affinium, » tantum amicorum clientiumque, ut, patrata » caede, in eorum potestate futurum sit quid » ipsi pati velint ». In eamdem sententiam Totti minaciter, et ut quisque ad audendum promptus, loquebantur. ignari quanto facilius sit committere scelera quam tueri. quippe aggredientibus ira atque audacia animos faciunt, rei metu et conscientia franguntur. Et praeceps consilium maturandi occasionem casus dedit. Inter caeteros Podiorum asseclas Petrus aurifex erat, juvenis audax, et qui nullum facinus recusaret. hic a Nigro (sic hominem appellabant) ipsius amico, cui eam locabat operam, accersitus erat; ut una cum ipso adesset rapiendae mulierculae, quam ab ejus consuetudine, nobilis quidam inter pontificiae aulae ministeria, abduxerat. Itaque pontificis aedes stipati globo amicorum aggressi, viciniam totam conviciis et tumultu concitant, franguntur fores, mulier recipitur. Sed occursu familiae coorta rixa, cum ad manum gladiosque res deducta esset, quidam verberati, alii vulneribus affecti: donec praevalida propugnatorum parte, praedam dimittere coacti Niger et aurifex,

in aedes D. Juliae ad Podios se se recipiunt. Ea res ubi per urbem percrebuit, tum vero, etiam qui ante minus probaverant, laudare principis orationem. sapienter ab ipso eas aedes asylum appellatas, in quas latrones et sicarii confugiant. apparere eum esse perditorum hominum receptum, unde ad raptus caedesque velut ex tuto prosiliant. Itaque cum de ea re ad senatum relatum esset, patribus visum ut Petrus Nigerque per biennium exularent. Nec quicquam interim gravius in Podios consultum, quos sperabant alieno exemplo prudentes futuros. Sed id ipsum, ut supra memoravi, maturando sceleri occasionem praebuit. Nam justissimum senatusconsultum, in sui contemptum Podii interpretati. dictitare « se videlicet per latus peti. hac arte clientum suorum animos debilitari. fulminum ictus ad unum, terrorem ad cunctos pervenire. Senatum semel suos punire aggressum, non destiturum, donec altera super alteram occasione omnes ab eis abstraheret. Principi quaerenti nunquam exiliorum causas deesse. paulatim asseclas suos carpi, ut eorum praesidio nudati securius ipsi opprimerentur. audendum igitur, donec robora virorum, donec animi opesque integrae essent ». His temere ac juveniliter jactatis, sceleris ordo sic

inter ipsos constitit. Vincentius et Franciscus Podii, una cum Laurentio Totto, Christophoro Trenta et Francisco Arnulphino cum aliis quibusdam, trucidandum principem sibi poposcerunt. Dominico Totto ac Jacobo Podio Vincentii fratre, una cum Petro aurifice, Lazari Arnulphini caedes obvenit; ut uno tempore, uno consilio principibus Podiae familiae inimicorum interfectis, caeteri metu deterrerentur. destinatus facinori V. iduum juliarum dies, pervigilio D. Paulini Lucensium tutelaris sacer, sceleribus semper infaustus: tempus meridianum, quo, sole terras incendente, cunctis ad curanda corpora, ac quietem dilapsis, solitudo et vastitas palatii conjuratis opportuna, facinus aut tectum, aut inultum sineret. Aderat parricidio praestitutus dies, cum, ferventissima meridiani solis hora, Vincentius una cum consciis ad palatium pergit, armis sub veste occultatis, inclusisque per insidias paucis apparitoribus, qui in vestibulo excubabant, (nondum praetorianorum, ac mox Germanorum cohorte ad palatii custodiam conducta) caeteris ad imos gradus expectare jussis, ipse cum Laurentio Totto per scalas ad cubiculum principis penetrat: accensumque ad fores cubiculi excubias agentem nunciare jubet, esse magni momenti res afferentem, qui

eum vellet conventum. Admissi, non aetatis, non dignitatis reverentia moti, semisomnem, ac nil tale suspicantem, strictis mucronibus aggrediuntur. primusque Podius truci vultu ac minacibus oculis, suppressaque per iram voce, collo arreptum pugione transfigit, tam caeco impetu, ut manum graviter sauciaret. infausto omine, ut ipse accepit, eam caedem multo sanguine genti suae constituram. tum ambo pectus et latera repugnantis, opemque languida voce implorantis transverberant, ac decem confossum vulneribus, quorum pleraque letalia fuisse constat, humi jacentem in proprio cruore exanimem relinquunt. Ad eum tumultum exciti caeteri decemviri, cognitaque principis caede, metu ne aliqua adversus libertatem conjuratione ea fierent, paventes ac trepidi partim se in latebras conjiciunt, partim domos abjectis insignibus se conferunt: accensis et apparitoribus eodem pavore dilapsis. quare otium fuit percussoribus, prohibente nullo, se se ad suos recipiendi, qui in vestibulo palatii rei exitum opperiebantur: a quibus medii excepti ad D. Juliae aedes perducuntur: inter quos, praeter eos quos supra memoravimus, Laurentius Philippi e Podia gente et Ventura Bonvisius, quem Maurum appellabant, fuere. Narrabat Gerardus Vellu-

tellius interfecti principis filius, qui e paternis aedibus palatio proximis, eo ad primum tumultum convolaverat, parentem eo tempore non somno vacasse, sed pluteo assidentem, ac epistolae scriptione occupatum, a percussoribus appetitum fuisse: senemque, qui ad manum erat, gladiolo graphiario se aliquandiu defendisse. afferebatque ejus rei argumento, inventam a se inchoatam epistolam, gladiumque sanguine respersum. senex, moribus, dignitate, amore libertatis, quamquam fortasse immodico, tam saevo exitu indignus.

Dum haec in Palatio aguntur, Dominicus Tottus una cum sociis ad Lazari Arnulphini aedes se se contulerat. easque, patentibus foribus, ut in summa securitate, ingressi, nobilem virum intra cubiculum vestibulo proximum, ubi clientibus de jure respondere solitus erat, una cum Petro Arnulphino, infestam illam aestivae diei partem familiaribus colloquiis fallentem reperiunt. adortique inopinantes, multis vulneribus confossos, pro mortuis humi jacentes relinquunt. qui tamen postea obligatis vulneribus curaque adhibita, contra inimicorum spem convaluerunt. Saluti fuit subter pluteos forosque voluminum se se abdidisse, ea ratione ferientium impetu eluso. qua caede perpetrata, recta ad socios recurrunt, qui et ipsi majore

piaculo obstrincti, paulo ante se receperant. Ibi caeteris qui substiterant commissi atrocitate attonitis, seque in haec facinora fidem dedisse abnuentibus: cumque propterea a latere eorum plerique diffugerent, ne parricidarum contagione polluerentur: tum demum magnitudo sceleris ab auctoribus sero aestimâta. Itaque cum non satis loco fiderent, propere septi armatis in Podium ad suos se recipiunt, ubi veluti intra arcem, sociatis cum universa gente consiliis viribusque, si quae irruptio fieret, se se tuerentur. quippe pro rei atrocitate universam mox civitatem in armis futuram existimabant. Ibi cum plerique factum improbarent, tamen communis sententia fuit, casum in consilium vertendum: et quando in eum statum adductae res essent, perculsae nobilitati instandum, ut pristinum fortunae fastigium recuperarent.

Interea tantae rei fama totam urbem impleverat: aliique alios, ut quisque occurreret, suspensi et attoniti, tamquam ignaros, tristi nuncio vulnerabant. nec alius in ea trepidatione habitus animorum erat, quam si capta urbe, amissa libertate, reipublicae interitus adesset. Itaque clausis tabernis, quidam in palatium ut fidem oculis haurirent, alii in forum, nec minus multi ad Podiorum aedes conflue-

bant: ingenti omnium expectatione, quemnam exitum tam funesta initia essent habitura. Per eum tumultum, sive communi consilio, sive eum sua temeritas impulit, Dominicus Tottus vectus insigni equo albentibus in pullo colore maculis, totusque a capite ad pedes in modum cataphracti equitis squamata lorica, et armis collucentibus tectus, ferream clavam manu praetendens, ut erat adhuc ab Arnulphinorum caede sanguine respersus, in forum se proripuit: atque inde in celebriora urbis itinera discurrit. elataque galea, ut egregia oris qua pollebat species conspici posset, oculis ardentibus, vultuque rubore suffuso, tum gestu nutuque cunctos sollicitans, alta voce populum ad arma ac libertatem invitabat, « adderent » se comites, ac initio feliciter facto, super» bos tyrannos exciderent, qui jam nimium » diu patientia eorum abuterentur ». tum quemque, ut in notos incurreret, rogando fatigare, oblatam occasionem avide amplecterentur; largusque promissis, plebem annona, alios alia spe alliciebat. haec atque alia, concionanti similis, cruentum brachium modo ad hunc, modo ad illum tendens, rauca jam ac deficiente voce clamitabat. Sed vastum ad ea ubique silentium, nullaeque voces favoris indices audiebantur. quippe obstinata populo adversus

publicam libertatem fides, mentem linguamque a sceleris communione avertebat. Itaque, quod monstri simile fuit, in tanto populo, tam multis semper praesenti dominationi infensis, aut ob incommoda rei familiaris res novas cupientibus, e tot amicorum clientiumque turba, nemo Dominico se adjunxit. Salutare fuit, quod eo potissimum auctore ad concitandum populum Podii usi sunt: cujus favor apud plebem pravitate morum levis, et fama invisa. majus momentum in animis vulgi fortasse habiturus ob nominis celebritatem ac venerationem, si quis eorum eas sibi partes poposcisset. Sed, ut memoravi, sive Tottum propria temeritas impulit: sive periclitari populi mentem alieno periculo callide visum; ut infelici exitu penes ipsum invidia, si res processisset ipsi uterentur. Igitur accidente nullo, Tottus magno pudore irriti incepti ad Podios revertitur, non parum animo fractos ob fallacem ejus spei exitum.

Itaque ad eos, qui frequentes rei novitate confluxerant, versi, amicos, clientes, notos ignotosque, ut miscere secum consilia, opemque in re trepida ferre vellent enixe orabant. nec viri tantum, sed etiam feminae, egregia forma cultuque, periculi magnitudine sexus oblitae, immixtae multitudini ad quemque pre-

ces, vota, lacrymas tendebant, rogantes ut parentes, viros, liberos denique nobilissimae familiae fortunam in praecipiti stantem juvarent. Sed plerisque aspernantibus, etiam qui affinitate, aut alia necessitudine Podios contingebant: (inter quos Joannes Maria Boccella, cui praecipua Podiorum spes nitebatur, potenti ac numerosa domo, quamquam nunciis alio super alium, atque etiam minis terroribusque sollicitaretur, aspectum ac colloquium refugit) collecta eorum manu, apud quos magis privata ratio quam respublica valuit, tueri se ac propulsare vim parabant. tum e fundis acciti raptim agrestes, qui in eorum ministeriis erant; missique qui Cellesiorum ope e montana Pistoriensium regione milites conscriberent. Totum autem id spatium quod ab eorum aedibus occupatum, Podium appellatur, firmis praesidiis munierant, obsepto viarum aditu, dispositisque stationibus velut in bello. et, sive per eum tumultum ex armamentario clam sublata, sive alio casu domi apud ipsos reperta, quatuor minora tormenta, quae falcones appellant, ita locaverant, ut duo forum orientemque, duo occidentem respicerent: levia subsidia adversus rempublicam: circaque ea armatorum manipuli excubabant, ut quisque in ea trepidatione armari potuerat. nam quibusdam lo-

ricae, aliis hastae ferro praefixae, gladiique, paucis ferreae arundines erant. adeo imparatis rebus, ut quidam e tabernis fabrorum, enses et pila raptim sustulerint. quod certe indicium est, ea non animo occupandae libertatis, ut publicum odium credidit, sed praecipitibus juvenum consiliis incepta, caeca ultionis cupiditate: non ante provisis, quae ea facinora consequuntur. nisi forte ut verosimilius est, alea semel jacta, Podii fortunam experiri voluerint. aut potius, malis consiliis pejora trahentibus, ex uno in alium errorem devoluti sunt, dum male coepta pejus tuentur. At per urbem, ut dictum est, clausis tabernis, quisque a privato negocio in publicum versus, magna expectatione erat: plebe intenta ac parata ad decemvirorum imperium, capere ne arma, et conjuratorum aedes expugnare juberetur: nullo adhuc publico consilio, cum decemviri ob metum alii alio dilapsi forent. Sed ubi paulum timor laxatus, prompto populi obsequio, nec ut suspicio fuerat, in partes Podiorum inclinante, nobiles nonnulli in palatium convenere, caeteris adhuc se domi tenentibus, donec res magis diluceret. Decemvirisque jam confirmato animo ad publica munia redeuntibus consultari ceptum quid consilii capiendum esset. Placuit mitti ad Podios, qui sciscita-

rentur, qua spe, quove consilio ea ceptassent: quidve animi adversus rempublicam gererent, ut deliberari posset, cum civibus ne an cum hostibus agendum foret. Ivere e prima nobilitate Franciscus Minutulus et Nicolaus Cenamus, ambo Podiorum affines, obque eam causam placandis animis aptiores existimati. Ad colloquium admissi, cum leniter agerènt, et quieta ac moderata suaderent: Podii eorum mansuetudinem timorem interpretati, quamquam in occulto metuerent, supercilium in speciem sustulere. simul spe, mobiles vulgi animos momentis parvis converti posse, superbe respondent: « se inimicorum acerbitate ad ea » impulsos. jamdudum in publicis consiliis ra» tionem sui non haberi, non consueta munia, » non honores iis mandari: proinde denun» ciare aliter in posterum agi oportere ». Stephano praecipue minaciter adstrepente, quem ut tum familiae principem, et jam quater summo honore perfunctum, vexilliferum perpetuum creare Podios decrevisse, fama vulgaverat. Malum malo addentes, Minutulus nunc hujus, nunc illius manus prehendens, lacrymans orabat, ne perseverarent clarissimam familiam perdere. « esse veniae spem, si quae » temere commisissent, pertinaciter non defen» derent. permitterent se senatui: futuros se

» in potestate decemvirorum pollicerentur. fa-
» cilem esse apud cives misericordiam. ne rei-
» publicae, quamquam tam atroci facto laesae,
» tamen ultro veniam ostentanti, praeciderent
» clementiae laudem. amplecterentur tempe-
» stive sana consilia, quae, ipsum scire, fru-
» stra quaesituros, cum eorum tempus effu-
» gisset »: eadem, et alia quae ad sanandas eorum mentes facere possent, nequicquam, surdis animis obstrepente cupiditate, iterabat Cenamus. quod ubi frustra fieri intelligunt, tristes cum superbo responso ad decemviros revertuntur.

Interea nox appetebat, quae, suspensa civitate expectatione pejoris alicujus mali, inquies, et per vigilias exacta. cuncti parati et in armis stabant, ne per quietem et somnum opprimerentur. Cum tenebris rediit bonis reipublicae cura: prodeuntesque, alii amicorum cognatorumque, alii publicam decemvirorum domum adibant, de summa rerum acturi. cunctis invicem adhortantibus, capesserent animos ad publicam salutem tuendam. » Sicarios magnitudine sceleris percul-
„ sos, non affinium, non populi auxilio ju-
„ vari. praeter paucos desperatos coactosque
„ omnia pro republica esse. plebem optime
„ sentire, nisi principes optimatesque publi-

„ cam causam prodidissent „. his, accensis animis, mutuo dextras jungunt, plenaque caritate patriae pectora complexi, fidem obstringunt, se aut proditorum scelus patriamque ulturos, aut, si fata aliter ferant, pro salute publica morituros. Inter quos praecipue enituit Bartholomaei Cenami fides, quem, cum maxime nobilitate sua dignum opus faceret, agresti cultu, noctu civium domos circuisse, atque ad tuendam rempublicam excitasse, memoriae proditum est. Nec interea Podii cessabant: sed et ipsi per tenebras ignoto habitu amicos, clientes, affines, ut consilio atque ope eorum causae adessent circumeundo orabant.

Per haec exacta nocte, aderat, ut solstitiali tempore, festinatus dies, publica populi celebritate, ob memoriam D. Paulini, in cujus tutela lucensis populus est, in trepidationem et sollicitudinem, ac viduata principis caede republica, in maestitiam et luctum versa. cumque de more tres ex decemviris cum universo senatu sacris interesse in basilica pauliniana oporteret, Laurentius Parpallionus, qui in demortui principis locum lege successerat, sive tentandi gratia, utque reos novis laqueis impediret, sive securitati suae consulens, ad Podios mittit, qui rogent, quandoquidem decemviros ac senatum in basilica pauliniana sa-

cris adesse, iterque per eorum vicum habere mos sit, utrum illa transire eos tuto permissuri essent. si negent, liquido apparere eos contra rempublicam facere, cujus dignitatem ea repulsa tam superbe violarent. si permitterent, non minore superbia eos agere, qui dominis per suam civitatem eundi facultatem impertiant. Podii intellecta calliditate consilii, modeste respondent, posse decemviros ac senatum retinere morem antiquum; nullam periculi suspicionem esse, se non violandae reipublicae, sed tuendi sui causa illa invitos agere. quare ut eorum familiae usus esset, praetereuntibus praesto, ac in obsequio futuros, ea veneratione, quà populi majestatem praeseferentibus adesse aequum sit. Nec modestius loquuti sunt quam fecere. quippe decemviros praetereuntes plerique ex senioribus ad omne obsequium compositi deduxere. juvenes seu perfractior animus, seu conscientia continuit; ne invisos vultus, manusque decemvirali sanguine imbutas, oculis civium ingererent. nec tamen ea cultus significatio in animis civium valuit, cum iidem supplices, et armati aspicerentur. nunciique interim afferrent, Petrum Cellesium cum quadringentis militibus ad tertium lapidem jam auxilium Podiis adesse. Tum vero ut e palatii vestibulo decemviri in

publicum processere, defixo vultu, ac vigilia curisque squallido, et oborientibus lacrymis, nec alio habitu vultuque caeteris juxta senatoribus, cunctis renovatus moeror: ipsaque purpurea praetexta ac sella aurea, quod ab alio occupabatur, amissi memoriam, ac sceleris indignitatem integrabat. Peractis sacris, divoque tutelari, si unquam alias ejus opis indiga republica, enixe in auxilium vocato; curatisque raptim corporibus, jam hora cogendi senatus instabat: quantoque magis decemviris ex consensu bonorum, animi creverant, tanto Podii rebus suis diffidere incipiebant. Quare cum eorum affinis Maximus Gratus vir gravitate et eloquentia, rerumque, diuturna aulae romanae disciplina, experientissimus, ad eos venisset, solatium in ea temporum asperitate, cuncti ac praecipue Stephanus jam exuta ferocia, obortis lacrymis circumsistunt, inque illius sinum, domum, fortunas, spiritum conjicere affirmant. ,, Iret ad decemviros; doceret, nunquam eos ,, de perdenda republica cogitasse. familiam ,, Podiorum, si quae alia, libertatis amantissimam extitisse, nec veterum annalium fidem deesse; paucos juvenes, praecipiti temeritate omnium majorum suorum erga rempublicam merita corrupisse. ,, Haec, seu vere, seu capiendo interim spatio jactata, per Gra-

tum ad decemviros deferuntur. qui, ut erat verborum artifex, nunc querelas, nunc preces miscendo, facti acerbitatem lenire conabatur, tamquam necessitate expressam; praecipuamque ejus invidiam in asperitatem inimicorum conferebat. Benigne exceptus auditusque a decemviris Gratus, verbis magis officiosis, quam salutis aliquam spem ostendentibus dimittitur. „ Agnoscere ipsos, quae diceret a patriae amanti „ animo proficisci, nec ea secus accipere. „ quod interim eis liceat, polliceri se ad se„ natum relaturos, qui jam jam eorum jussu „ cogendus erat „. quae ad Podios relata, eorum metum auxere.

Ut autem e turri decemvirali, signum convocandis senatoribus aere datum est; veluti illud classicum libertatis ac reipublicae laborantis vox extitisset, omnium civium pectora, patriae amor ita pervasit, ut sponte ac jubente nullo universi arma raperent, prolatisque duodecim regionum vexillis, singuli in suis ordinibus ad palatium convolarent. Itaque vestibulum curiae, omniaque itinera quibus palatium aditur, armatis referta conspiciebantur; patribusque, ut in curiam pervenirent, per tela gladiosque enitendum erat. Ea res mirifice decemviris ac senatui animos erexit. utque populum in obsequio reipublicae

magis confirmarent, vocatis ducibus, ac vexilliferis publico nomine gratias agunt: simulque ut intelligant, quantum spei in eo populi consensu respublica collocaret, caeruleum vexillum, cui aureis literis libertatis nomen inscriptum est, perque viros principes a senatu lectos, per urbem quotannis stata die celebri pompa deferri solet, sanctumque ac venerabile habetur, populo tradunt: eo facto publicam salutem ac libertatem se ejus tutelae committere professi. et ne quisquam sua laude fraudetur, eximius illud deferendi honos, Bernardino Sinibaldo, communi senatus populique consensu, habitus est; juveni e popularibus, nec minus robore virium, quam fide erga rempublicam strenuo. Itaque, nobilitate exemplum sequuta, brevi tempore ad tria millia armatorum circa palatium stabant. Jamque senatus frequens in curiam convenerat, cum Parpallionus, qui in principis locum successerat, truci eloquentia hesternae caedis atrocitatem questus est: multaque in Podiae familiae superbiam jactavit, renovata vetere Petri Cenami memoria, quem pari saevitia in eadem decemvirali domo confodissent. « proinde „ acribus remediis insistendum, insignique ali- „ quo exemplo posteritatem docendam. quid „ iis civibus faciendum, qui patrem patriae,

„ populi principem, personam publicae maje-
„ statis, in ipso reipublicae sinu tam foede
„ trucidassent? nec dubium, eos idem facturos
„ reipublicae fuisse; nisi ea aeterna ac in-
„ violabilis esset. alios nobilium ad necem
„ vulneratos, alios caedi destinatos, quo faci-
„ lius ipsis ad opprimendam rempublicam pa-
„ teret aditus. quae consilia, bonam reipu-
„ blicae fortunam, et tutelares divos avertisse.
„ caeterum, quantum ad ipsos attinuisset, se-
„ ditiosis vocibus multitudinem concitatam,
„ populum ad arma vocatum, externos milites
„ accitos, aliaque omnia patrata, quae sine
„ magnis exemplis dissimulari non possent,
„ nisi ab iis quibus patriae salus, populi li-
„ bertas, reipublicae aeternitas vilis habere-
„ tur „. Motos per se rei atrocitate animos patrum, ea oratio magis accendit. Sed cum omnibus ultio placeret, difficilis deliberatio erat expedire, qua ratione sine tumultu ac sanguine civium ea fieri posset. Dum in senatu sententiae dicuntur, Dominicus Tottus, ut in ultima desperatione, iterum experiri fortunam decrevit. quare, ut hesterno die, vectus equo armatusque, cum quibusdam satellitibus, iter ad palatium instituit; rursus populum ad arma, ac miscenda secum cumque Podiis consilia clamitando sollicitans: eoque habitu usque

ad puteum, quem Terellorum appellant, concionabundus pervenit. sed cum jaculis pilisque undique peteretur, tamen perseverabat, ferreo thorace ac lorica duplici ingruentia tela innoxio ictu excipiens. Verum ubi e vestibulo palatii globum armatorum infesto cursu in se ruere conspicit, territus, conversis habenis effuso cursu ad Podios revertitur, rerumque statum eos docet. omnia armatorum plena esse. cuncta pro republica facere. nihil spei superesse populum in partes traducendi. proinde cedendum potentioribus, et qua quisque possit, saluti suae consulendum. Ad haec omnium confracti animi, simulque ingens pavor, ac desperatio incesserat: Vincentioque ac Dominico male precabantur, qui eos in tantam perniciem conjecissent. ipsis contra frementibus, quod senum consilia sequuti, se externorum militum praesidio, iis domum remissis, per summam stultitiam nudassent. Sed tantus pavor incesserat, ut tam Podii, quam qui eos assectabantur, abjectis armis, alii alio se conferentes fuga sibi consulerent: veluti qui jam a tergo instare sibi supplicium sentirent. nam quidam clientium affiniumque domibus occultati, quidam per muros se se funibus demisere, plures templorum religio texit. Nonnulli violatae reipublicae nimium confisi, nec satis expenso

quo amentiae furorisque progressi essent, ultro ad palatium se conferentes, iratis civibus se se dedidere. fuere ii Stephanus cum liberis Francisco et Cherubino, Franciscus Philippi filius, ac praeterea Michael, Petrus, Philippus, Luisius et Joannes, cuncti e Podia gente: nonnullique ex eorum asseclis clientibusque. Unus Vincentius, tantae calamitatis suis auctor, adversus fortunam contumax, non fugere, non misericordiam experiri decrevit. Sed obfirmato animo professus est, se aut armatum urbe exiturum, aut arma manu tenentem in pugna moriturum. Id ubi in curia nunciatum est, quamquam facile esset tot armatorum millibus unum ac pene desertum obruere, tamen, quando res tranquilliorem quam pro opinione exitum spectarent, plerique sapientia magis, quam fortia consulebant. « non esse imbuen-
„ dum populum sanguine nobilitatis. gladiis
„ semel eductis non tam facile eorum conden-
„ dorum rationem apparere. si plebs caedi
„ ac spoliis patriciorum manus assuefaceret,
„ plures hostes futuros „. Itaque magnis contentionibus utrinque acta re, tandem in eorum sententiam discessum, qui exonerandam urbem Podiumque emittendum censebant. ita etiam rati, posse facilius in alios animadverti, si ducem, caeterisque audendi auctorem, amo-

lirentur. Quare destinatis, qui interea armatos in palatii vestibulo, et ultionem poscentes, compositis sermonibus detinerent, missi Nicolaus Cenamus et Michael Burlamaccus una cum lictore ac paucis militibus consciis, qui illum auctoritate publica incolumem urbe educerent; eum truci vultu armatum, ac in vestibulo domus spatiantem reperiunt. denunciatoque senatus imperio, ferunt, paululum substitisse, mox indignanti similem, hastam quam manu tenebat longe abjecisse. deinde accincto ad latus persico acinace parvum e Sardinia equum conscendisse; Caesare Moncigulo manum dante, cum ipse laevam in caede principis vulneratam, et e collo fasciis pendentem expedire non posset. Interim fama consulto in populum vulgatur, Podium ad palatium pergere ut se decemviris sisteret. quod temere creditum, adjuvante fidem quod eum praeeunte lictore, ac medium militibus duci viderunt ea via, qua secus decemviralem domum ab occidente ad portam D. Petri iter est. populo minime manus contenturo, quin eum discerperet, nisi ea fraude deceptus esset. Hoc modo ad portam pervenit, quae seris vectibusque ob metum clausa custodiebatur: apertaque portula emissus est, armigero galeam praeferente. ibique in majorem equum ascendit, Baccio Pa-

ressanensi egregio milite manum praebente, cui Vincentius illacrymans osculum tulit. In quo caelestis providentiae consilia, alta caligine, secretique sui majestate involuta admirari libet. tot claris viris, quos ejus comparatione innoxios esse constabat, ad quaestiones et supplicia relictis, eum impune evasisse, qui princeps sceleris fuerat: lictore usque ad portam prosequente, quem ad supplicium praeire oportebat. Sed publica salus valuit, vitaque illi pro supplicio concessa est. satisque acerbitatis habere visa tristis illa tot caesorum imago, bonorum direptio, clarissimae familiae ruina, nominis interitus, quae uni illi accepta referebantur. Et si quid in ea re a senatu peccatum, poena eum consequuta est; Podio quoad vixit semper infesto, ac patriae utilitatibus gravi; donec publicum odium, quieta seraque morte satiaret. quae ut gesta sint, in tempore memorabo.

Ubi in curiam perlata est ejus profectionis fama, laxati patrum animi: provisisque quae tempus poscebat, die jam in vesperam inclinato dimissus senatus, et ab armis discessum: paucis tantum retentis, qui ad urbis securitatem ea nocte vigilias agerent: caeteris Podiorum, qui sponte in potestatem senatus venerant, in custodiam ad tormenta, et quae-

stiones datis. sequenti die vocato iterum senatu, postquam patres soluti metu, toti ultioni vacare poterant, in illam incubuere. et, aut fallit me rerum longe a nostra memoria gestarum fides, aut raro quisquam magnorum regum tam severe vindicatus est, quam patres, violatam in principe suo reipublicae majestatem, persequuti sunt: ut quibusdam visum sit, saevitum potius, quam judicatum. Primo igitur decretum, ut cuncta arma ex aedibus Podiorum exportata, in publicum armamentarium inferrentur; idque ut curarent, certis civibus negocium datum. tum citati per edictum, qui ei turbae se se immiscuerant, quorum nonnulli capti, ac supplicio affecti; vel pro criminis modo levioribus poenis mulctati: alios fuga legibus eripuit. Et quoniam, inde omnis hujus motus origo fuerat, jussum, ut possessio aedis D. Juliae publice summi pontificis nomine adiretur. Praeterea minutae plebi ob egregiam erga rempublicam fidem, quod in aerarii angustiis fieri potuit, tria millia modium frumenti distributa. quod non tam muneris magnitudine, quam quod sponte a patribus offerebatur gratum fuit. Auxit populi laetitiam patefactum Saxum (publicus carcer hic est) emissique quicumque aere alieno obstricti illic detinebantur. Ac demum sex

viri capitales creati, qui una cum praetore quaestionibus habendis praeessent. fuere ii Balthassar Montecatinus, Bartholomaeus Cenamus, Joannes Paulus Gilius, Philippus Calandrinus, Hieronimus Collodius .... quorum nonnullos constabat, privatis odiis reis infensos. ac inde quaestiones non sine aliqua saevitiae suspicione habitas, iniquior fama vulgavit. Auxit ejus rumoris invidiam praetor, (erat is Scipio Petruccius senensis) qui magistratu abiens, secum tabulas quaestionum clam sustulit; professus invitum se minis quaesitorum ad ea impulsum, quae religione ipsius animum tangerent, qua se ea professione solvi judicaret. quae sive ex conscientia, sive ex ira, quod se non pro opinione liberaliter habitum existimaret, cuique credita, prout amor aut odium erga noxios stimulabat. Tabulae tamen, senensi republica adnitente, apud quam Lucenses missis legatis expostulaverant, recuperatae: duobus inde confectis exemplaribus, quorum unum publice in tabulario, alterum in sanctiore aerario quod Tarpejam vocant, ad memoriam posteritatis asservarentur.

Igitur per tormenta ac quaestiones elicitis confessionibus XVI. Kal. augusti Stephanus cum Francisco filio, ac Petro ex Podia familia, clam in palatio securi percussi, ac deinde

eorum cadavera in foro super tabulatum funebri cultu contectum populo ostentata. plerisque non sine luctu, sortis humanae casus reputantibus, tam miserabili exitu clarissimum senem extinctum, toties decemvirorum principem, gravissimis maximisque negociis reipublicae adhibitum, post fasces ac purpuram coactum lictori dare cervices. felicior profecto, si aut nunquam laesisset rempublicam, aut laesae nunquam credidisset. Cujus mors per se funesta, illud acerbissimum habuit, quod juvenis filii funeri juncta est. cui tamquam miseriarum cumulus postero die accessit alterius filii mors, quem idem fatum publicae ultioni addixit. Ea de nobilibus viris supplicia, ut dixi, clam sumpta, ne mobiles vulgi mentes irritarentur. Liberius, ut in vilem sanguinem, animadversum in Raddam pistoriensem, et Radichium Chifentinum Vincentii satellites, eadem die publice e furca suspensos. quorum ultimum, dum laqueo cervices insereret, ferunt clara voce, ut palam exaudiri posset, dixisse: sic evenire magnorum virorum asseclis, ut primi in furca, ultimi in mensa assideant. Quinque funeribus incestos urbis oculos, sequuta dies iterum tristi spectaculo tenuit: propositis absciso capite truncis corporibus, Cherubini (alter hic e Stephani liberis erat)

Francisci, ac Philippi: plerisque illacrymantibus eorum vicem, quos, parricidis elapsis, publici odii piacula cernebant. et ne iterum ad funestas hasce imagines revocare animum cogar, in hunc locum omnia ejus generis congeram, quamvis aliquanto post contigisse certum sit. Erat cum caeteris in custodia Luisius. ei crimini dabatur, quod consiliorum Vincentii aliorumque conscius, quamquam ab incepto deterrere conatus, tamen silentio texisset. culpam inficianti tormenta admota, quorum acerbitate costarum compages laxata, artusque dissoluti tristiorem illi mortem fecere. dilatus usque in augustum mensem, tamdem VIII. Kal. septembris securi percussus est: usque ad extremum spiritum contumax, ac innocentem se perire clamitans, tamquam imputaret. Clausit funestum hunc actum Vincentii (alterius a parricida) mors, quam ut in quibusdam monumentis reperi, memorabo: quamquam suspecta manu conscriptam, non perinde ut ad misericordiam, sic ad fidem valituram. Obtinebat hic maximum Paulinianae basilicae sacerdotium, quod Podiorum familiae gentile erat, non minus morum quam sanguinis nobilitate conspiciendus. Illum, sive contagio sceleris, sive gentis odium tamquam aliqua procella corripuit. abreptus in carce-

rem, sex menses tam severa custodia habitus est, ut nemini, quamquam curiose rimanti, scire licuerit, quae circa illum agerentur. Mater prae caeteris anxia, dies noctesque in recordatione carissimi pignoris, luctu ac lacrymis consenescebat: et quamquam horreret animus, tamen, ut suspiciosa res amor est, nihil boni ominabatur. Cum tandem moerore in somnum lapsae, ferunt visam illi per quietem filii imaginem, vetantis se ultra ut vivum defleri. extinctum se, nec amplius inter mortales esse. constitutam iis quae diceret fidem, si pro gradibus aedis D. Petro Somaldo sacrae, tumulum recludi jubeat. ibi corpus suum defossum quiescere. haec eloquutum, sublatum ex oculis, nec ultra apparuisse. Experrecta mulier, in fletus uberiores, aucti doloris indices se se laxare coepit. Dissimulabat tamen, non faemineo ingenio, causas, et sciscitantes falsis frustrabatur. donec Nicolao Sanio, qui in templo D. Michaelis ad forum, unum ex majoribus sacerdotiis obtinebat, viro pio gravique, nocturnam speciem patefacit: oratque ne se diu, si error ille sit, in fraude esse patiatur. Is assumpto in conscientiam germano fratre, nocte intempesta ad locum monstratum pergit, sublatoque lapide, cum lumen admovisset, attonitus pavensque, nobilem juvenem,

paulo ante, ut apparebat, occlusis faucibus mori adactum cernit. reversusque ad parentem expectatione rei sollicitam, eam veris nimium in somniis territam affirmat. cadaver, iis quae curanda erant dispositis, proxima nocte clam in aedem D. Romani asportatum, conditumque in majorum sepulchro. Nihil unquam resciri potuit, quis caedis auctor, quis modus. ferebatur incertis suspicionibus, eum in domum Joannis Baptistae Nuccorini clam illatum, ibique intercluso spiritu necatum; utque domus templo contigua erat, in vicinis gradibus defossum. Illud exploratum est, juvenem custodia inclusum, nec ultra apparuisse. Sacerdotium, una cum caeteris damnatorum bonis publicatum, et in fiscum redactum. quae res cum paulo post versa in religionem esset, ea civibus exempta literis Clementis VII. pontificis maximi, qui auctoritatem senatus ratam esse jussit. isque ad hanc diem sacerdotio potitur, quem princeps decemvirorum nominavit.

Suppliciis exactis, ad absentium poenas cura patrum incubuit. Vincentius, totius funesti hujus operis artifex, proscriptus ac hostis judicatus: cumque eo Laurentius et Jacobus ipsius germani; nec non ex eadem Podiorum stirpe Franciscus Parentis et Bernardinus Joan-

nis Baptistae filius. Tum Dominicus et Laurentius Totti, qui secundas audaciae et sceleris partes egerant: simulque Vincentius Puccius, Petrus aurifex, et Ventura Maurus, qui caeteris nocentiores erant: ac in varias orbis terrarum provincias relegati, extra quarum fines cum praemio occiderentur. Vincentius in insula Rhodo vel Creta, Laurentius in urbe Epidauro, aut Chio Aegei maris insula, Jacobus in Pannonia esse jussi. Laurentio et Dominico Tottis, alteri Baleares, alteri Sardinia, ob caeli gravitatem, constituta. Franciscus Parentis regno neapolitano, Bernardinus in Sicilia, Petrus aurifex in Cypro clausi. Puccius Maurusque Hispania exire vetiti. Tum in alios minus sontes levioribus exiliis animadversum. Gulielmus et Antonius a Porticu, alter extra fines Etruriae, alter in Siciliam relegati. Augustinus Bernardus intra Venetorum imperium consistere jussus. quidam in Galliam Cisalpinam, aut Emiliam ad certum tempus abducti. Sed Bartholomaeus a Porticu mox hostis judicatus, quod cum caeteris perduellibus, egressus relegationis suae fines, consilia sociasset. Praemia item decreta percussoribus, qui exilia egressos interfecissent: ac pecunia per cives primarios in principibus Italiae urbibus, Romae, Venetiis, Mediolani, Genuae, atque etiam

Lugduni Galliarum perscripta, quae statim interfectoribus, probata caede solveretur. Nec contenti terrarum orbem exiliis implesse, ad abolendam ejus familiae memoriam, quae publice libertati tantopere obstitisset, decretum, ut Podiorum gens perpetuo honoribus ac reipublicae administratione careret. ne in posterum Podiorum nomen retinerent, sed aliud quodcumque libuisset usurparent; praeter quam Bartholomaeus et Alexander Benedicti fili, qui in alia urbis regione habitantes, iis turbis minime se se admiscuerant. Unde quidam Maulini, quidam Piccolominei, alii Sandaei Sagginaeque nobilissimarum familiarum cognominibus appellati. praeterea aedes in vico sui nominis vendere jussi, ac sparsi per urbem habitare: ac ipse vicus forumque, non ultra Podiorum, sed forum frumentarium, a venali ibi frumento diceretur. Quae turbidis illis temporibus rata: mox tranquillioribus rebus, populus antiquitatis tenax, usui magis quam legibus paruit: et tam in hominibus, quam in locis vetera vocabula valuere. Quin et nostra aetate Podii iterum ad rempublicam accessere, primusque ex ea familia Laelius, mox etiam Josephus senatores ordinarii facti: iique optimis civibus respublica utitur, veterum injuriarum, quam ipsa immemor, tam illis oblitis.

Praeterea creati triumviri, qui pecunia publica, quanta ipsis videretur, hostes judicatos, qui senatui non paruissent, terra marique interficiendos curarent. Fuere ii Joannes Paulus Gilius, Philippus Calandrinus, et Bartholomaeus Cenamus: qui nusquam passi eos consistere, sive publicis odiis, sive privatis simultatibus, seu, quod verius, utrisque, egregie satisfecere.

Scio plerisque legentium nimia haec, et crudelitati potius quam ultioni proxima, forsitan visum iri. Sed quicumque libertatis bonum suis rationibus aestimaverit, minime dubitem, reipublicae dolori, si in re difficili modum fortasse non tenuit, facile condonaturum. Nam interfectis regibus regna manent, et in eorum locum liberi ac propinqui succedunt: at extincta republica, quos esse posteros libertatis? quare magnis exemplis cavendum ne unquam committatur, quod si processerit non habeat ultorem. Et ut nimia severitas haec videri possit, tamen publicum scelus privatis suppliciis luebatur. denique, verbo absit invidia, semel ulcisci atrociter placuit: quod nunquam alias foret vindicandum. Illud clementer, quod supplicibus libellis, quibus feminae nobiles damnatorum uxores postulabant remitti sibi poenas, in quas viris favendo, conjuges meliores quam cives,

semet induerant, senatus annuit: et qualicumque pietati, quamquam adversus rempublicam, patres quia probare non poterant, ignovere. His tamquam inferiis parenti publico litatum erat : cum ad placandos ejus manes sanctioribus hostiis animi adjecti: funusque illi magna pompa ex aerario celebratum. interfuere atrati decemviri, moesta civitas: aequali prope luctu ex eo quod facere, quam quod pati coacta erat. Mansere usque ad nostram memoriam ad D. Joannis, ejus tumulo imposita vexilla: quae mox soluta vetustate, nemine Vellutelliorum superstite, amoveri, nullius interfuit. Titulus adhuc legitur marmoreae tabulae incisus, ad aeternam facti memoriam ac invidiam. Sed neque sic expiati laesi principis manes: donec repetendis poenis per parricidarum exilia pervagati, nullo pene sontium relicto, tandem quievere. quae licet aliquanto serius gesta, tamen causis suis innectere libet; ut tanto magis reipublicae severitas excusata videri possit, quanto ejus reliqua caelestis ultio exegit.

Emissus, ut ante memoravi, ex urbe Vincentius, una cum Petro aurifice, ac Ventura Mauro Romam se contulerat. sed cum Lucensium oratores Hadriano pontifici querelas detulissent, homines sicarios, et a senatu hostes

judicatos, contra quam fas sit, impune per sacram urbem vagari: ille tum justis querimoniis, tum facti atrocitate commotus, comprae-hendi reos ad supplicium imperavit. Id, bono suo fato, ad Vincentium statim manavit: qui raptim conscenso equo, tumultuaria fuga se subduxit; tanta trepidatione, ut ne quidem sterni fraenarique equum passus fuerit. quod certe salutare illi fuit. Nam dum aurifex Maurusque morando tempus terunt, a satellitibus comprehensi, prior securi percussus, alter ad Triremes damnatus: unde tamen post successoris beneficio evasit. Vincentium sequutus Placentiam usque Dominicus Tottus, illi intimus erat. hic, sive illum sortis suae pertaesum foret, sive, ut quidam tradunt, triumvirorum literis stimulatus, quibus veniae spem ostendebant, si Vincentium e medio sustulisset, magnum, sed infelix facinus aggressus, illum in agro equitantem, ferrea clava in caput adacta, ex equo, ut ipse putabat, moribundum dejecit. Sed ferrum trepido ictu, non satis valide in caput descenderat; quare collecto spiritu, strictoque gladio proditorem exclamans, adeo perterruit, ut ille admissis habenis Apuam profugerit: ubi ab iis, qui eum insequuti fuerant compraehensus, placentini praefecti jussu, inexpiatus sacris falcato

ense super mensam lanii praecisis cervicibus in pecudis morem, digno exitu extinctus est. Vincentius in urbem relatus, fomentis adhibitis convaluit. accitisque non multo post Jacobo fratre ac Bernardino Podio, una cum Laurentio Totto, ac Vincentio. Puccio Placentiam: dum ii inter Aventiam ac Macram iter faciunt, in insidias a triumviris dispositas praecipitavere. Tottus Pucciusque fuga elapsi, Jacobus ac Bernardinus pugnantes obtruncantur. eorum capita Lucam delata, in foro ostentui fuere. mox orto inter ipsos jurgio. Massae, lunensis orae celebri oppido, Tottus a Puccio interficitur: solito, ac fere nunquam incruento sceleratorum fine; quos cum aliquando praeterire videatur, saepius tamen poena invenit. Tanti constitit unius temerarii juvenis vecordia: quem tot malorum causam, divina ultio, seu forte, quod magis mirandum, clementia, sibi reservavit.

Sed ut ad intermissum temporum ordinem redeam: ita constitutis rebus aliisque sontium supplicio, aliis proscriptione ac exilio multatis, tandem Deum respexere: cujus praecipue ope, ex tam impeditis turbis respublica se se explicaverat. Itaque gratiis agendis sacrificio per summum urbis antistitem celebri pompa peracto, ad divorum templa a decem-

viris cum frequenti senatu supplicatum: praeeuntibus de more sub signis suis sacrorum hominum collegiis. quo tempore in basilica martiniana concionem ad populum habuit Petrus lucensis, e D. Fridiani sacerdotum collegio, celebris ea tempestate orator, magnaque apud cives sanctimoniae fama: cujus praeclara scripta, sapientiam ac religionem ejus adhuc posteritati commendant. Visum deinde senatui per legatos caesari, ejusque in Italia procuratoribus, omnem rei gestae seriem significare: ne iniquiore fama, aut falsis proscriptorum querelis, eorum animi occuparentur. Destinati ad id munus Nicolaus Cenamus, et Balthassar Orsuccius; quorum prior augustum, alter Prosperum Columnam, caesaris in aula romana procuratorem doceret, quibus malis vexata respublica, ad aspera et cruenta, sed necessaria remedia descendisset. Per idem tempus, cum quidam perduellium, contra quam per foederis leges licebat, in oppidis florentinae reipublicae agerent: seque interdum infestos in Lucensium finibus ostentarent: patres per oratorem apud eum senatum expostulavere: a quo, quamquam tarde et gravatim, extra florentinam dominationem esse jussi, sollicitudine civitatem solvere. Eodem tempore cum Joannes Emmanuel, caesaris orator,

Roma significasset, imperatorem magnitudine sumptuum, pecuniarum egentem, rempublicam caesarum nomini adeo fidam appellare: senatus excusata aerarii inopia XII. aureorum millia se collaturum professus est. pecunia per Prosperum Columnam caesari transmissa, opportune ex damnatorum bonis in fiscum redacta: periculoso in eo rerum articulo, incommoda parsimonia, tanti principis animum alienare.

Eodem anno cum augusto exeunte Hadrianus pontifex maximus ex Hispania Romam accessisset, senatus ad eum oratores misit, qui summam dignitatem illi reipublicae nomine gratularentur. fuere ii Bartholomaeus Arnulphinus, Joannes Paulus Gilius et Balthassar Orsuccius. Orationem in senatu habuit ad pontificem Arnulphinus, quae adhuc extat: in qua multa de turbido reipublicae statu praeclare questus est. quo tempore illud accidit, quod paulo ante memoravi: ut parum a meritis poenis Vincentius Podius abfuerit. Memorabilem lucensis reipublicae annum (1) sequens excepit; ut domesticis malis quietus, ita externis per initia turbidus. nam uti fere

(1) Ann. 1523.

inter finitimos solet, lite orta de finibus inter Montis Ignosi, et Massae lunensis incolas, ei componendae patres tribus viris negocium dedere. ii fuere Lazarus Arnulphinus, Joannes Paulus Gilius, et Balthassar Orsuccius. Interea cum pontifex Hadrianus, magnis cogitationibus plenus de communi salute, bellum adversus Turcarum imperium moliretur: missi, eo flagitante, Bartholomaeus Arnulphinus, et Stephanus Bernardus, qui senatus nomine, opem pro virili parte in eam expeditionem pollicerentur. Foedus sancitum, cui praeter summum pontificem, Carolum caesarem, Angliae regem, Austriae, ac Insubriae regulos, respublicae Genuensium, Florentinorum, ac Lucensium adscriptae: quae communibus stipendiis pro portione XXX. armatorum millia alere jubebantur. Sed egregios conatus, ut fluxa cum ipsis omnia mortalium sunt, mors rupit: quae vix publicato foedere, Hadrianum id. septembris immature terris abstulit: virum antiquis virtutibus, severitate ac parsimonia, quae corruptis ejus saeculi moribus nova vitia fuere. Eodem anno ferrariensis regulus foedus cum republica renovavit: sancitumque ad communem securitatem ut unius imperii hostes exulesque, ab utroque exularent. Fine anni post trium fere mensium interregnum Hadriano suf-

fectus est Julius stirpe medicea, qui Clementis VII. nomine adoptato, christianam rempublicam in magnis fortunae agitationibus tenuit: quas ut se se res dabunt, suis temporibus memorabimus. Natus erat Florentiae Clemens, urbe civitati nostrae ex multo tempore parum amica; sed tamen in privata fortuna, quod et pontifex praestitit, benevolum animum Lucensibus semper ostenderat. utque erat acri judicio, ex comparatione turbidae ac inquietae popularium suorum naturae, nostrorum hominum ingenia ut magis tranquilla ac moderata, callida aestimatione praeferebat. Ad eum, et ut ad communem orbis parentem, et ut ad privatum reipublicae suae amicum, senatus oratores destinavit, qui ei novam dignitatem gratularentur: Caesarem de Nobilibus, Michaelem Burlamaccum, et Martinum Bonvisium. Legati cum honore excepti auditique. Oravit communi nomine Caesar magni tum nominis, divini humanique juris scientia: eumque principem sponte nobis deditum amiciorem reddidit.

Sequenti anno 1524. Senatus proximo tumultu edoctus, ad subitos casus, urbem quingentorum militum praesidio firmavit, praefecto illis Cianca natione illyrico, duce strenuo, ac militaris rei admodum perito. creatique VI.

viri, ut ex oppidis pagisque robora virorum ac juvenum legerent, ex eisque certum numerum militum conscriberent, qui ad nutum praesto ac in armis essent ad tutelam urbis agrique: quod ab illis egregie curatum: legibus sapienter impositis, quibus ordines singulis ac ministeria statuebantur, ne in re trepida, quid agendum foret ignari, oneri potius quam subsidio essent. Addita est etiam illis potestas, moenia turresque novis munitionibus firmandi; si qua parte vetustate temporum vitium duxissent. Et certe, si quae alia, eas curas illa aetas poscebat: qua efferato inter Carolum caesarem et Franciscum Francorum regem odio, cuncta bello ardebant. Italia praecipue, in qua, ut majora armorum praemia, ita acrior vis erat. malo terrarum fato, quarum felicitati, maximi omnis aetatis regum ducumque geniti, si concordes fuissent; ita dum per invidiam alter alterius commodis obest, universam Europam caedibus, sanguine, incendiis, et quae aliae magnorum regum odia calamitates sequuntur, involvere. nullo satis digno tantorum, sanguinis, auri, laborum pretio: cum neuter aut praeda ditior, aut dominatione amplior evaserit: tot victoriarum irrito fructu, quarum singulae barbarorum opibus affligendis suffecissent. cum illi interea

occasione uterentur ad occupandum christianorum imperium: semper nostris discordiis, quam suis viribus majores. Nam post Hadriani excessum Franciscus cum magno exercitu (ad L. millia peditum equitumque fuisse constat) ex totius regni flore collecto, alpes trajecerat, Insubriae dominationi imminens, qua tunc favore caesaris Franciscus Sfortia potiebatur. ignarus se ad nobilitandam Italiam clade suorum ac propria captivitate fatis ducentibus adventare. Ejus belli res gestas claris ingeniis memoratas referre non est hujus operis: ea tantum ex iis capita attingam, quae Lucensium rebus innexa sunt: eadem magnorum principum ac terrarum natura; ut eorum motibus proxima concidant, longinqua quatiantur. Prima Gallorum arma prosperos exitus habuere: ipsumque Insubriae caput Mediolanum, magna ac populosa urbs, parvo negocio regis imperium accepit. Unde is, victoriae impetum sequutus, imposito praesidio ad obsidendum Ticinum contendit: cui cum Germanorum cohortibus Antonius Leva clari nominis dux praesidebat. Validam munitionibus et propugnatorum virtute urbem, tamen longa obsidione domitam in manus suas venturam rex pro certo habebat. quare tamquam ejus spei secutus, quo magis armorum suorum

fiduciam ostentaret, praecipue abundante multitudine, Alexandrum Stuardum regio Scotorum sanguine, quem Albaniae regulum vocitabant, cum lecta XV. millium manu, ad tentandam Neapolim misit (1): hominem stolide ferocem; superbiaque et arrogantia barbaris sueta. Is a rege digressus, superatisque Apennini jugis, per Feroniae provinciam, dextramque Aesaris ripam in lucensem agrum descendit: praeter insitam ferociam reipublicae infensus, quod eam caesari fidam, animo a Gallis abesse sibi persuaserat. Senatus audito hominis adventu VI. viris negocium dedit, ut eum per lucenses fines iter facientem benigne exciperent, commeatibus juvarent, omniaque providerent, ut aut pacate agere vellet, aut inimice non posset. Decemviri praeter urbanam militiam, mille militum manu ex agris accita, caeteros, suis quemque locis in armis esse jusserunt, intentos paratosque ad arcendam vim. missique ad eum legati praefectique; qui copiam commeatuum ac stativa, caeteraque militaribus hospitiis opportuna publico nomine offerrent. Sed nihil aequi bonique a furioso homine impetrari poterat; omnia contumeliose, ac su-

(1) Ann. 1525.

perbe agente: qui et senatus benignitatem contemptim acciperet tamquam metu expressam: quasi polliceretur quae jam ipse vi et armis teneret. quin et commovebatur si quis alio quàm gallico sermone eum alloqueretur: quod Joannes Paulus Gilius ejus linguae gnarus egregie implebat: legatis omnia sapienti dissimulatione agentibus, ut pestilenti homine, et armorum causas quaerente, quacumque ratione rempublicam exonerarent.

Sed neque sic effici potuit, ut non multa hostilia suis permitteret: quorum nonnulli per agrestium iram res suas tutantium caesi aut vulnerati, regnli odia ac vigilantiam senatus intendebant. nam disposita erant in muris tormenta, ac diu noctuque stationes agebantur. portae praeter eam quae ad Orientem suburbia spectabat, sublatis pontibus, dejectisque cataractis, seris vectibusque clausae: ipsaque duplici vallo castellisque ligneis firmata. totumque spatium, quod portam vallumque interiacet, militibus stipatum erat: nec per angustum valli claustrum, praeter quam singulis, aditus patebat. quare Galli, commeatus aut mercis parandae causa urbem intrare volentes, nonnisi unus post alterum, iique certo numero admittebantur: quibus per confertos armatos eundum erat: et si quando minaciter

pro ingenio nationis agerent, infestis pilis ac objectis mucronibus excipiebantur. quod cum illi acerbe ferrent, saepius CCC. aut CD. per cuneos stipati, ac perrumpere vallum aggressi, cum magno dedecore repulsi sunt. quippe Cianca urbani praesidii praefectus, patefactis repente portis eruptione facta in eos invectus est: elata ac minaci voce denuncians, ni coeptis absisterent, excutienda mox in eos tormenta, (quae manu in muris stantia indicabat) sine ulla aut ducis, aut regis ipsius reverentia: cui eas injurias per pacatam, ac minime inimicam gentem probari non posse, satis sciret. Caeterum non omnino incertis rumoribus ferebatur, quod etiam mox apertis indiciis monstratum est, Stuardum in occultis mandatis a rege habuisse, si non multum ardua res videretur, Lucam in transitu aggrediendi: quo gloriam famamque armis suis ad caeteros conatus pararet, tam validae urbis expugnatione. Et certe regulus cum expedito agmine, nulla impedimentorum sarcinarumque molitione: ac praeterea cum scalis tormentisque, quaeque alia oppugnandis urbibus adhiberi solent, advenerat. non eo consilio ut Galli eam obtinerent, sed in Florentinorum gratiam, quos ex tam longo tempore concupita Lucensium accessione, rex sibi magis demereri in eo rerum articulo

volebat. Fatis adeo res in contrarium disponentibus, ut appetitores alienae libertatis, Gallorum amicitia in abruptum tracti, suam paulo post amitterent. quorum exitium, sapientiam Lucensium magis commendavit, qui moderata consilia sequuti, fide in caesarem, officiis donisque ac dissimulatione in Gallum, ea pericula cavissent. Sed cum regulus majorem quam pro opinione difficultatem in expugnatione urbis cerneret; ne altioribus rebus moras necteret, discessum maturabat. Caeterum ne nihil omnino regi praestitisse videretur, XX. aureorum millia, et VI. muralia tormenta tradi sibi postulavit: ni imperata facerent, ferro se ac flammis omnem regionem populaturum. de tormentis a senatu responsum, urbem non nisi minoribus instructam, tuendis tantum moenibus: haud tanta mole, jactuque ex tam longinquo, quam oppugnaturis necesse esset. de pecuniis, pro aerarii difficultate curaturos, ut regi satisfieret, dum de tormentis illata mentio omitteretur. Caeterum vera causa silebatur: quippe indignum patribus videbatur, machinis instruere caesaris hostes, quarum vi optimi principis ac reipublicae patroni urbes quaterentur. quae regulo nunciata, tantum irarum commovere, ut vix sibi temperaverit, quominus agrum di-

ripiendum statim exercitui permitteret. donec ejus pervicacia, aliis atque aliis nunciis frustra tentata; cum circa tormentorum traditionem magnae difficultates orirentur; tandem ii pervicere, qui tradenda censebant. duritiam ac asperitatem temporum, satis apud caesarem rempublicam excusatura. « non animum fidelem sibi, sed vires deesse. Trucis ingenii » homini, cum exercitu ex multarum gentium » colluvione agrum occupanti, subtrahendam » esse rapinarum ac caedis materiam, quam » superbe ac insolenter agendo vocaret; nec » ipsum caesarem velle, cum tanto periculo » fidem sibi a sociis praestari; magisque optare ut superessent quibus condonaret, quam » quorum miseresceret ». Pecunia praesenti numerata ad XII. aureorum millia ex privatorum collatione, quibus fiscus eam liberalitatem salvam repromisit. Tormenta quatuor promissa. quae illo jam Senensium fines ingresso, cum tarde ac gravatim mitterentur, per nuncium minaciter denunciavit, se eam obsequii contumaciam regi significaturum: ac ni propere fidem solverent, retro se cum exercitu rediturum, omnemque regionem ferro ac incendiis vastaturum. Eaque inconsultae linguae temeritate nuncius abusus est, ut sine ulla reverentia jactaverit, dominum suum jam

struxisse pontem, per quem Luca Florentiam traheretur. Dimissum nunciare domino jubent: « sperare se eum malum architectum futurum, » solvendumque prius pontem, quam moveri » Luca caepisset ». quae vox oraculi vicem implevit. nam Albano nondum neapolitanorum fines ingresso, tristis nuncius de infelici regis ad Ticinum pugna allatus est: pars regii exercitus caesa: flosque gallicae nobilitatis una cum ipso rege in potestatem hostium venit. qua clade Gallorum res in Italia afflictae, cumque iis reguli ferocia, magno Lucensium gaudio, qui impotentis hominis superbiam concidisse laetabantur. Is nunciata repente tanta partium ruina turbatus animo substitit: ortaque in exercitu seditione, milites vagi ac disjecti, dum sibi quisque consulit, ejus conatus destituere. quare infectis rebus in Galliam reverti cogitur. Ejus discessu, quae duo missa fuerant tormenta recuperata, cum nondum ad exercitum pervenissent. quippe Aculae a Gallis deducentibus destituta, beneficio nobilis aculensis Lucam relata sunt, contra quam clarus Italicarum rerum scriptor memoriae prodidit: qui in rebus nostris seu dolo, seu veri incuria saepe fallitur. Aculensi pro navata opera gratiae actae, delatumque judicis munus, quo in lucensi civitate fungeretur. Constat etiam apud

scriptores (1) gallos Neapolim in potestatem regis venturam fuisse; aut Hispanis ex Insubria revocatis, magnam rerum conversionem fieri potuisse: nisi regulus Lucae, Senisque ad corradendum etruscum aurum nimis cupide haesisset.

Solutam externa cura civitatem domesticus hostis invasit, quippe Vincentius Podius, scelerum conscientia actus, nihil omittebat, quo se incommodum patriae praeberet. Nam adjuncto sibi Bernardino collensi, ineunte septembri ejus anni, cum expedita latronum manu ad aquas lucenses ex improviso apparuit: vastatisque proximis vicis Villae et Corsenae, captisque aliquot nobilium, valetudinis causa illic agentibus (quos tamen sine pretio dimisit) Mozanum usque celebre oppidum Aesari oppositum, populabundus excurrit. Inde per vallem Limae ad montanam Pistoriensium regionem se recipiens, dolo, neque enim vi potuisset, Luchium, munitissimam lucensis agri arcem in potestatem redegit. Quibus nunciatis, patres pudore simul ac ira accensi, collectis raptim manipulis popularium, ac duobus mil-

(1) Ex literis epis opi bajocensis, quae inter literas principum circumferuntur. Raynald. ad ann. 1525. num. 83.

libus mercede conductis, brevi cum valida manu sex millium, duce Segalario lunensi, praefectisque militaribus Balthassare Montecatino, Bartholomaeo Cenamo, et Francisco Minutolo ad obsidendum oppidum misere. Ea est ingenio loci, et operibus manu adjectis illius arcis munitio, ut si tormenta ad propulsandos oppugnatores, et alimentorum copia suppetat, modico praesidio teneri adversus quantamlibet vim diutissime possit. quippe praerupto montis dorso imposita: ita ut pleraeque incolarum domus, qua monti haerent, vivo saxo excisos parietes habeant; nec nisi uno tantum, eoque angusto, ac impedito scopulis tramite aditur. Ad radices montis, qua in septemtrionem vergit, Lima amnis rapidus adhuc et torrens, impetu aquarum fluit: qui non longe ab oppido Cutiliano in apennini jugis ortus, mox ad pagum Chifenti Aesari miscetur. Enisis in abrupta, per sublicium pontem, qui vix singulos capit, intratur: isque catenarum machinatione dejectus sublatusque, spem adeundi dat atque adimit. quippe sublato ponte in praeruptam altitudinem descensus in praeceps, non sine aspicientium horrore in vallem patet, ruinae similis. Sed nec tormentis oppidum, ut in longa pace satis instru-

ctum erat, nec alimenta nisi ad paucos dies supererant. una tantum spes auxilii, per Cellesios Pistorio submittendi, obsessos alebat. Sed praeterquam quod per medios hostes, in tanta locorum difficultate via ferro aperienda erat, quaecumque causa fuerit, ea etiam spes fefellit. quare cum omnia in dies arctiora fierent, nec ulla deditionis honestae spes appareret (sublato cum perduellibus omni pacis bellique commercio) ab ultima desperatione consilium Podius expectabat.

Iis curis anxium, quae illi perpetuo comes adfuit, sors explicuit. nam cum eo jam deducta res esset, ut non ultra decem dies cibaria superessent, nocte quadam subita procella tantum imbrem effudit, ut vigilibus, cum prae vi tempestatis consistere in aperto non possent, in tabernacula dilapsis: tenebrisque insuper ac pluviae ruentis fragore, usu oculorum auriumque sublato; Podius cum suis per aversam castrorum partem se se demiserit, sentiente nullo, per invia ac praerupta, quae tutum illis, notitia locorum, effugium praebuere. Et ut tectior fuga esset, militari astu, cervi, familiariter in oppido versari assueti cornibus, tintinnabuli arcis restem implicuit: ut fera libertatis cupidine caput subinde quassante, sonus ederetur, tamquam

ex more militiae stationes obeuntium. Per hunc modum Podio cum suis elapso, pura demum luce fraus sero intellecta: magno obsidentium dolore, suam sive incuriam, seu adversam fortunam incusantium: qui tam acerbum hostem, sponte in casses praecipitatum, sibi e manibus elabi passi essent. Ea dies exemplum tulit universae posteritati memorabile: sed non ut virtute, ita gloria famaque Romanis Graecisque aequale. adeo sacrorum ingeniorum monumenta valent, ut res gestae magnorum virorum, tantum claritudinis habuisse credantur, quantum quisque splendorem fando adijcere possit. Ingressi oppidum milites, vacuum hostibus reperiunt. unus sive sponte, sive oblitus desertusque a suis, Josephus Minutulus substiterat. Is Minorum ordinem professus, taedio ejus vitae ac pravitate morum, a caetu suorum profugus, perduellibus se adjunxerat. captus, et in conspectum praefectorum militarium, quorum unus Franciscus ipsius pater erat, adductus, omnium oculos, sed patris praecipue, eo spectaculo obstupefecerat. obortae illico seni lacrymae, mistusque ira ac misericordia pudor, vultum ac animum patrium in diversa distrahebant. quaerentibus quid eo agendum esset, omnium sententia fuit occulte faciendam illi fugae po-

testatem, nec eo moerore patrium pectus conficiendum. unus eam pietatem pater improbavit. quare conversus ad collegas: » quando, » inquit, irati familiae meae divi, scelus an» tiquis par in domo mea existere voluerunt, » non committam, ut ei virtus veteribus par » defuisse videatur: plusque animi huic par» ricidae adversus rempublicam, quam mihi » pro republica fuisse ». Itaque cunctantibus caeteris, filio catenas injici jubet, vinctumque Lucam duci, in arbitrio senatus futurum. Patres constantia, ac invicto adversus privatos affectus ob rempublicam animo, multum collaudato, filii temeritatem patris bonitati condonarunt: contenti eum poena capitis in exilium ejecisse. Sed perditum hominem fatorum suorum acerbitas in exitium trahebat. quippe non multo inde Lucam regressus, agnitus compraehensusque securi percussus est.

Eo etiam anno adversus eos qui novis opinionibus antiquam religionem convellebant, primum S. C. animadversum est. Paucis ante annis, ut dictum est, Martinus Lutherus gente Saxo, odio romanae aulae, et latioris vitae cupidine, pessimo consilio veterem religionem turbis miscere coeperat: aperto saxonum regulorum studio, quod initio vana ambitione profectum, mox arcanum regni

evasit: antiqua res novas molientium arte, cupiditati pietatem ac religionem obtendendi. Eaque pestis haud intra Germaniae fines coercita, jam vicinam Italiam invaserat: impiis ejus sectae, hominibus occultis primo, dein coalita audacia publicis criminationibus, mysteriorum sanctitatem, sacerdotum vim, et quae alia ea impietate abolentur, apud aures vulgi deterentibus. et sicubi metu suppliciorum audaces linguae comprimerentur, sparsis libellis venena vulgabantur. quod malum, cum in civitatem paulatim irrepere patres sensissent; insito erga veterem religionem studio obviam iere. cautumque minaci edicto, ne quis ejus impietatis libros haberet, additis in contumaces poenis. mansere tamen occultati, et punitis ingeniis, apud jam contactas prava superstitione mentes, crevit auctoritas: eo exitu, ut dum tentatur religio, pene libertas conciderit. Memini, dum me puero, in privata domo paries effoderetur, repertum pluteum hujusmodi profanis libris stipatum: eosque antistiti religionis traditos atque igni damnatos.

Exacto per haec anno 1525. sequens aderat, (1) iis malis gravidus, quae magnorum re-

(1) Ann. 1526.

gum irae discordiaeque, in partesque eorum motae gentes ac nationes, mista morum et cupiditatum colluvione parturiebant. Insigni ad Ticinum victoria, plerique italorum principum interque eos Clemens pontifex, magnis suspicionibus anxii, nimiam jam caesaris fortunam rebantur.» Francisco enim rege, ejusque » opibus tanta clade attritis, qui unus obsiste- » re potuisset; eum modum incrementa ipsius » habitura, quem ejus cupiditas statuisset. » victoriam rem insolentem, ac etiam mode- » ratis animis vix ferendam. multo minus » bellicosum juvenem, flore aetatis ac robo- » ris, cum exercitu victore, felicitati suae » frena injecturum». Itaque initum foedus inter pontificem, Venetos ac Insubriae regulum, cui Franciscus Galliarum, jam hispaniensi captivitate liber, et Henricus Britanniae reges accessere, ad tuendam Italiae libertatem. quae res pontifici eorum malorum origo fuit, quae hoc anno per Columnenses caesarianarum partium obtentu, direptione urbis coepta, sequenti Borbonius aliique caesaris duces ad exitum perduxere. Hoc anno pax inter caesarem regemque Galliarum composita, dum hic ageret adhuc in custodia caesaris: sed turbidis animis, et occulte iras coquentibus in atrocius bellum eruptura: quamquam affinitate sancita, quae

dissidentium regum firmissimum vinculum est. quippe Gallus Caesaris sororem Eleonoram in matrimonium accepit, nuptam antea Lusitaniae regi: cum ipse caesar Elisabetham Emanuelis ejusdem Lusitaniae regis filiam duxisset. quae laetitia cum ad omnem christianum orbem pertineret, etiam Lucenses privatim gaudio affecit. cui ostentando oratores in Hispaniam Galliamque destinati, qui publico nomine utrique regi redditam generi humano tranquillitatem gratularentur. Ea aestate Clemens instinctu Florentinorum, qui, sua jam prope amissa, alienae libertati invidebant; nec non exulum suasu, qui in rebus turbidis, meliorem causam suam facturos sperabant, arma in Senenses movit. in ea trepidatione patres, amicae nationi consiliis juvandae legatum misere Balthassarem Montecatinum, virum prudentia ac usu rerum inter ejus aetatis principes: alio interim ad pontificem destinato, qui animum ejus lenia suadendo mitigaret: ab eoque incepto, tamquam famae suae parum prospero averteret. « quippe pa-
» renti communi parum decorum iis turbis
» se se immiscere: nomenque pontificum ho-
» nestius inter templa et aras, quam inter
» vexilla et contubernia militum audiri. ra-
» roque felices armorum successus iis, quibus

» non vi, ac ferro, sed sanctitate, ac religione » nitendum est ». Nec fefellit omen: quippe Senenses eruptione facta obsidentes late fudere: captis direptisque castris: ac vexillis quibusdam tormentisque muralibus potiti. Quietus is annus civitati fuit: nisi quantum magistratuum sollicitudinem exercuit Milietus e Campo majore, quod agri lucensis nobile oppidum est, non longe a mari situm. Hic quamquam exiguo, tamen valido corporis habitu, lingua promptus, manu valentior, quique collato corpore supra XX. homines interfecisset: licet exul proscriptusque, tamen maritimae orae saepius se infestum ostentabat. Feroniensibus praecipue damnosus, cum quibus, municipalis ex propinquo aemulatio et veteres irae. si quando deprehenderetur, pernicitate pedum insequentes eludens: qua adeo valebat, ut effusum in cursum equum pedes aequaret. professus ea quae ageret, patriae caritate, et studio ulciscendi hostes illius facere. quod quamquam intelligebatur, tamen pacis amore, illae in finitimos injuriae, publice displicebant.

Funestior toti reipublicae christianae sequens annus (1) extitit: urbe Roma direpta, pontifice velut captivo intra custodiam clauso.

(1) Ann. 1527.

ex qua clade, super publicum luctum, privatis quoque incommodis Lucenses affecti: sed maxime sterilitate agrorum, ac sequuta inde pestilentia: quae quamquam claris scriptoribus memorata, non omnino ab re fuerit, in summa huic operi intexere. Septembri mense superioris anni, duce Pompejo Columna, uno ex purpuratis, sed qui ordinis sui parum meminisset, capta Roma ac vastata: pontifex in arcem Hadrianam compulsus fuerat. unde beneficio principum foederatorum eductus, dum ira ac dolore contumeliae in ultionem fertur, in multo graviora mala incidit, quam quae ulciscebatur. Nam caesariani duces, in tutelam Columnensium, qui a suis partibus stabant, conversis armis, avide occasionem amplexi sunt invadendi urbem, pace tot annorum, congestisque ex toto orbe opibus florentem: inopiae ac avaritiae illorum, quamquam profunda utraque, suffecturam. Et caeteri quidem certis conditionibus, et pecunia in militum stipendia placati: unus emi non potuit. sive quod pecunia qua tentabatur, vix in duorum mensium stipendium satis erat, cum annorum aliquot deberetur: sive quod spes vastas animo complexus, romanae praedae hiabat. Erat is Carolus Borbonius, regio Francorum sanguine, qui exolescente apud regem gratia, aeger

animi, infame consilium ab ira mutuatus, in eum pro caesare conjuraverat. verum conjuratione patefacta, hostis judicatus bonisque exutus, ad caesarem confugiens, ab eo parti copiarum praefectus, ticinensi praelio, in quo rex captus est, interfuerat. sed regis sui desertor et transfuga, etiam apud eos, quos praetulerat obliqua fama erat. non aequa proditionis ac proditoris gratia. Et caesar sceleris vinculo obstrictum teneri satis ducens, vanum hominis ingenium alia atque alia spe inflabat, destituebatque pari ludibrio. quippe desciscentibus intercluso ad suos reditu, omnia indigna patiendi necessitatem proditio imponit. Inter caetera jam aliquot annorum stipendio fraudatus, parum abfuerat quin militari seditione opprimeretur: concursu ad ejus tabernaculum facto, pecuniam tumultuosis clamoribus flagitantium: uno ex praefectis occiso, direptoque tabernaculo, cum ipse celeri fuga se periculo subduxisset. His curis anxius, gravi XL. millium exercitu, ut fortunam tueretur, ad immane consilium invadendi urbem conversus est. quare motis ex Flaminia castris, ubi Insubrum regione digressus stativa habebat, citato agmine Romam contendit: militari turba victoriis insolente, ac dilatis stipendiis contumaci; quae praeterea magna ex parte e

Germanis conflata, novae impietatis superstitione imbutis, odio in pontificem, ac cupidine opum, quas, licet amplas, majores tamen fama, ut solet, faciebat, in urbis excidium incensis studiis ferebatur. tanta odiorum acerbitate, ut Franspergius germanicarum cohortium praefectus, laqueum auro purpuraque intextum subinde ostentaret: quo fauces pontifici se elisurum jactabat. sed irrito sceleris voto: quippe dissolutis artubus, ad Forum Allieni consistere coactus est, ante quam exercitus Romam perveniret. Borbonius in eo itinere, positis castris in agro bononiensi ad oppidum D. Joannis nonis martii, literas ad senatum lucensem dedit, quibus *optimum amicum adscripserat*. iis significabat se brevi praeter fines reipublicae iter acturum: proinde orare, ut quam maximam commeatuum copiam patres submitterent. praeter quam quod sua pretia rebus constitura essent, eos gratiam caesaris ituros: erga quem eos optime animatos scire. Sed mutata itinerum ratione, nil ea re opus fuit: et *optimus ille amicus* XII. aureorum millibus stetit. nam commeatuum loco, quos in summa egestate empturum se large per vanitatem jactaverat, eam summam flagitarat: concedente senatu quod inopi, atque armato periculose negatum esset.

Ducto igitur per Flaminiam atque Etruriam superiorem exercitu, III. non. maji ad urbem pervenit: tetenditque ea nocte in pratis urbis muro proximis. sub auroram, occultus tectusque, per nebulam, quae ut verno tempore locis depressis palustribusque spissa se effuderat, moenia subiit, admotisque scalis, dum primus tamquam expugnatae urbis decus praecaperet, in summum gradum scandit, parvi tormenti glande per femur adacta, dejectus praecipitatusque, in ipso infamis victoriae spectaculo extinctus est. Regis sui desertor et proditor, sacrae urbis expugnator, ignobili gloria nomen suum inter Alaricos et Totilas posteris traditurus. Exercitus amisso duce non minus ferox; licentia etiam creverat, cum jubere omnes, nemo scelera vetare posset, in urbem irrumpit: nulloque sacri aut profani discrimine, ea crudelitatis et avaritiae, mista libidine vestigia ubique reliquit: ut Hispani Germanique, Gothos Longobardosque, ac veteres barbarorum clades absolverent. violata templa, etiam quorum augusta majestas barbaris fuerat. direptae domus, matres familias virginesque ad stuprum, et dedecus raptae, tam impotenti libidine, ut ne sacratis quidem corporibus parceretur. Sacerdotes etiam principes, sacraque ipsa, ac

cerimoniae ludibrio habitae: domina illa regum gentiumque, ac divinae religionis arce ita vexata, tamquam si Maumetis alicujus aut Selimi, aut alterius barbarorum regum, et non summi sacerdotis, potestatisque secundum Deum maximae sedes ferro excinderetur. Clemens in arcem Hadrianam inclusus, super acerbum tanti furoris spectaculum etiam fame vexatus, coactusque sacratum caput pecunia redimere, tandem post VII. menses vulgari habitu, ut milites falleret, a caesarianis ducibus libertati restitutus: sinistra caesaris fama; qui ut ejus cladis auctor vix credi potest, ita adeo lenta pontificis libertate, eaque pecunia empta, visus est approbasse. quae omnia, latius aliquanto quam operis institutum poscere videtur, prosequi, et rei magnitudo, et ingenium doloris expressit. Clementis calamitate, quos, in eam diem, pontifici iratos, metus in officio continuerat, Florentini ad libertatis cupidinem exarsere. quare mota seditione, vulgus ut favore ita injuriis immodicum, in adoratum antea mediceum nomen plura molitum est: detractis abrasisque ejus gentis insignibus e majorum monumentis: detruncatis etiam Leonis Clementisque simulacris, tamquam trophaea servitutis. quare Silvius e numero purpuratorum, Alexandro ac Hippolyto Clementis con-

sanguineis; ipsique adeo reipublicae rector tutorque datus, populari furori se subducens, una cum principibus adolescentulis Lucam se contulit. Senatu appellato; a quo de gentis more, tum ipsius Clementis nomine, tum clarissimae familiae, benigne ac constanter in fidem recepti servatique. Ad eos in antistitum aedibus agentes juventus nobilis summa comitate confluebat: nullumque publice aut privatim officii genus omissum, quo magnorum senatorum pontificumque sobo1es praesenti fortunae erepta, futurae ac meliori reservaretur. Nam cum Florentini saepius per literas legatosque, eos dedi sibi, tamquam reipublicae suae hostes judicatos, postulassent; « senatus respondit, non esse sui moris destituere, qui fidem suam sequuti essent. proinde ab incoepto absisterent; scirentque nullius se gratia, aut minis adductum iri, ut dederet juvenes nobiles, innocentes, amicos, qui in sinum suum, velut in confugium ac portum se contulissent. paratumque quodvis belli discrimen adire, potius quam ea fraude decori suo maculam inferre ». Quae res, ut honorifica reipublicae ad famam gloriamque, ita Clementi gratissima extitit: adeo ut biennio post, cum Alexandrum Farnesium unum ex purpuratis Ge-

nuam ad caesarem destinasset, ei dederit in mandatis ut Lucam se conferens, suo nomine senatui ob egregiam in nepotes suos (sic appellabat) fidem ageret grates. quod ab eo sicut erat imperatum officiose praestitum, laetis animis patres accepere: ipsumque omni honoris significatione exceptum, occurrentibus ad urbis portam decemviris cum trabea, caeterisque magistratus insignibus, vectum albenti equo, cultuque ad sacerdotii majestatem composito, ad basilicam principem deduxere: atque inde ad Guidiccionorum aedes ad Janum mercatorum, ei familiae privatim benevolum: unde Guidiccioniis ejus amplitudinis origo, quae familiam ipsorum mox consequuta est, Alexandro ad summum sacerdotium evecto.

Tot malis, quibus Italia premebatur, frugum sterilitas, atque inde fames accessit: ambigente nullo, terras ira numinis alimenta negare, atque annum scelere exaruisse. communi clade Luca etiam afflicta est. quippe ex summa vilitate, in tantum annonae pretium excrevit, ut singuli frumenti modii, aureo fere ac semisse constarent. Patres ad levandam multitudine civitatem, edictum proposuere, quo qui tribus ante annis ab exteris gentibus in urbem aut agrum immigrassent, exire jubeban-

tur. tum census singulorum capitum actus, omnisque generis annona descripta: gravique poena sancitum, ne frumentum panisque emi posset ut inde carius distraheretur: ne quis ex publicis lacrymis gaudium caperet. Cumque id adversus avaritiam, publicorum malorum speculatricem satis non fuisset; inopia in dies gliscente, cautum ne cui ultra sex panes emere liceret: qui numerus deinde imminutus, et ad binos redactus. et ne qua fraus, aut vis fieri posset, nobiles viri a senatu lecti tabernis annonae praesidebant. neque sic tamen prohiberi potuit quin minuta plebs aliquando tumultuaretur: et ipsa fame coacta, vendentes cogeret. Praeterea senatus, paterna cura, pluribus, iisque egregiis viris negocium dedit, qui tum in civitate, tum in agro, quantum in ea frumentariae rei inopia fieri poterat, pauperibus levandis advigilarent. insignique liberalitate, ne populus egens fame conficeretur, intra breve tempus XIV. modiorum millia frugum variarum, quae in publicis horreis ad bellorum casus servantur, plebi distribuit. Duravit ea annonae caritas IV. circiter menses, in qua ea famis saevitia extitit, ut non sufficientibus etiam lupinis glandibusque, ac pane ex furfure, plerique inopum ad herbas ferarumque alimenta, ac insalubrium ciborum

succos converterentur. unde mox pestilentia sequuta est, morbis tota urbe agroque vulgatis: qui insuper corrupto aeris spiritu, acrius saevibant. confectos macie artus, languor solito major occupabat. ad haec ardentissimus calor toto corpore diffundebatur: frequentesque maculae, tabentis indicia sanguinis, cutem foedabant. ea tabe correpti, ardore febris emota mente, intra paucos dies extinguebantur: nullo fere superstite, quos pestilens morbus afflasset. Nec ea clades intra vulgus stetit. multi etiam nobilium periere; interque eos clari viri, et reipublicae utiles. quodque in hac calamitate pessimum fuit, plerique patresfamilias artificesque extincti sunt: ut civitas non tantum praesenti damno, sed etiam in posterum affecta sit: laxata severa liberorum disciplina, atque artium industria: unde bonorum civium inopia, omniumque vitiorum materies otium atque inertia. Multa hominum millia desiderata: nec ulla fere domus sine lacrymis fuit. quibus malis simillima, aetate nostra videre contigit: cum anno 1648. post agrorum sterilitatem succedentibus morbis, supra VIII. hominum millia in civitate extincta sunt: exque iis plerique nobiles et honesti: quique patres matresque familias, domum secum traherent. manifestam numinis iram ex

tanta calamitate patres edocti, eam votis suppliciisque placare aggressi sunt. publice privatimque preces indictae; nec, statis temporibus, ulla templorum domorumque gemitu ac lamentis vacua erant: cum praeter publicam auctoritatem singulos propria damna cogerent. Praecipue autem ad orandam irarum caelestium veniam supplicatio indicta: cujus ordo (quoniam talia historiis inserere etiam apud veteres principibus ejus artis visum) talis fuit. Praeferebatur de more argenteum basilicae principis vexillum, cui proxime, sub suis quaeque signis collegia, quae sodalitates appellant, saccis in humilem modum induta, ac nudis pedibus pleraque, tristi vultu incedebant. Horum agmen sequebantur sacrorum hominum coetus, sub suis ipsi quoque signis: quorum ordinem excipiebat sodalitas mystarum curionumque, lineis vestibus ad genua de more amicti. Post hos ibat collegium sacerdotum basilicae D. Michaelis ad forum; idque basilicae principis sacer ordo pone sequebatur. singuli tristia carmina, et placandis superis apta, voce lugubri canentes. Post eos portabantur humeris sacerdotum divorum Reguli Agnellique sacra ossa suis urnis inclusa: atque inde imago Christi e cruce pendentis, Alborum dicta; antiqua religione venerabilis,

nec unquam fere sine fructu iratis superis monstrata. quam antiquo jure, antistes templi DD. Bartholomaei et Pontiani elatam manibus praeferebat. Sacrorum pignorum lateri, tum sodales in veste longa, tum consulti juris civesque nobiles amicti togis cum facibus adstabant. His succedebat pontificis vicarius: cum is a domo longe, adesse prohiberetur: una cum omnibus pontificiae aulae ministeriis: qui omnes accensas faces manu praeferebant. ac denique princeps decemvirorum (erat is Ludovicus Bonvisius) cum duobus collegis. medius inter praetorem, qui illi ex more eorum temporum ibat interior, ac unum collegarum, qui laevam tenebat: quorum alter propraetori dexter sequebatur. Decemviros antecedebant magno numero accensi, apparitores lictoresque: tum scribae, caeterique aulae ministri. prosequebantur longo ordine praecipui magistratus: censores, praefecti aerarii, ductores militum, consules mercatorum, XII. vexilliferi regionum, una cum consilio XXXVI. virorum: tum honestissimus quisque, intecto capite cum facibus incedebat: virorum turbam claudebat ingenti numero agmen feminarum, matronae virginesque omnis ordinis, omnis aetatis; cultu humili, et ad modestiam composito; lacrymantibus oculis, dejecto vultu,

qualem temporis ratio poscebat. adeo omnis virtutis magistra calamitas est: nec meliores unquam quam miseri sumus. Constat praeter numerum sacerdotum mystarumque supra VIII. millia hominum huic supplicationi interfuisse. nec tamen ideo minae superum remisere. quippe morborum vis late vagabatur, eaque sollicitudo animis patrum incesserat, ne, quod evenit, in pestiferam luem mutati, contagione vulgarentur. quare praefectos valetudinis crearunt Jacobum Burlamaccum, et Hieronymum Arnulphinum, qui, quantum humanis consiliis caelestes irae averti possunt, urbis saluti prospicerent. Et quoniam in ea caritate annonae, seu inopia, seu parentibus morbo extinctis, adultae virgines pudicitiae discrimen aditurae videbantur; illud, pro suo more, servando illarum pudori senatus censuit, ut puellae omnes lucensis agri, etiam montanae regionis, inopiam professae, publico sumptu in urbe alerentur. confluxere ingenti numero; distributaeque per publica pauperum hospitia. et quoniam angustiora ea quam pro numero confluentium fuere, conductae proximae aedes, iis excipiendis; ubi sollicita custodia honestarum feminarum, sancte ac pudice ad laetiora tempora mansere. Fine anni cum vete-

res civitatis leges emendandae, aut novae condendae senatui viderentur, datum negocium XII. viris, qui id praestarent. fuere ii, Caesar de Nobilibus, Ambrosius Boccella, Lazarus Arnulphinus, Balthassar Orsuccius, Nicolaus Liena, Ganymedes Franciscini Ursi insignes jurisconsulti: Michael Janninus, Jacobus Serantonius, Franciscus Turretinus scribae: et e caetero civium ordine nobiles viri Joannes Paulus Gilius, Blasius Maeus, et Franciscus Balbanus. Plures eo anno ad diversos principes regulosque, aut liberos populos oratores missi, prout turbulenta ea tempora poscebant: in quibus summae artis consiliique erat, in tot scopulis ac naufragiis rerum, gubernacula ita temperare, ut inter pericula medii, aliis opem, quibusdam obsequium, munera aliis impendendo, reipublicae gubernatores cursum tenerent. Fuere ii, Petrus Angelus Guinisius, primo ad exercitum foederatorum principum, mox Neapolim missus: ubi civis egregius, et majoribus suis dignus, in publico munere mortem oppetiit. Leonellus de Nobilibus Genuam, quae Antonii Adurnii imperio regebatur: Florentiam Philippus Calandrinus, ac dein Balthassar Orsuccius: Senas Balthassar Montecatinus destinati. Praeterea Nicolaus Fatinellus, et Stephanus Franciottus ad regulum Alutren-

sem (1) exercitumque, qui in Allobrogibus erat: Damianus Bernardinius, et mox Joannes Baptista de Nobilibus iterum Florentiam: Philippusque Calandrinus Pisas ad regiae Gallorum classis praefectum ivere. Ad Andream vero Auriam legati Blasius Maeus, et Martinus Bonvisius, magnum iis temporibus reipublicae columen: singulique commisso muneri pro expectatione egregie satisfecere.

Et quoniam aliis exercitibus in Italia tendentibus, aliis terra marique adventantibus, magna belli moles ingruere videbatur, patres de rerum eventu solliciti, incertique a quibus partibus fortuna staret: et an caesarem reipublicae amicum ut antea foveret, an ad Gallum iniquo in eam animo transitura esset; illius temeritatem sapientibus consiliis praevertere satagebant. Quare sequenti anno 1528. summa reipublicae XII. civibus permisere; qui una cum principe decemvirorum, qui pro tempore magistratum gereret, viderent in eo rerum motu, ne quid respublica detrimenti caperet. proinde foedera cum quibusvis regibus aut liberis civitatibus ferire, quamlibet summam pecuniae publicae impendere, eorum potestatis esset: dummodo ne quam lucensis agri par-

(1) Conte di Londron.

tem ab imperio populi avellerent. Fuere ii Michael Burlamaccus, Urbanus Parensius, Joannes Laurentius Malpilius, Thomas Montecatinus, Caesar de Nobilibus, Lazarus Arnulphinus, Martinus Bonvisius, Bonaventura Michaelius, Blasius Maeus, Joannes Bernardinius, Augustinus Balbanus et Vincentius Guinisius: omnes ex prima nobilitate, et consilio prudentiaque cuivis magnae rei pares. Sed quamquam ea deliberatio, pro temporum iniquitate, summae sapientiae fuisset, tamen, ut in liberis civitatibus paucorum potentia semper suspecta est, plerique improbavere. Itaque occultis sermonibus patres male audiebant: propositique pluribus in locis libelli sine auctore, quibus conjecti in eum magistratum, invidioso vocabulo XII. tyranni appellabantur. cui malo severis edictis obviam itum: gravesque poenae in auctores constitutae. qui tamen inquirentium studia frustrati, tecti occultique impune mansere. Nihilo tamen secius is magistratus, contempta fama, munus suum obibat: atque etiam cum mala civium gratia rempublicam servabat.

Interea pestilentia acrior in dies fiebat: passimque funera civitatem carpebant. cui malo extinguendo, licet aegri fessique tot curis patres sedulam operam intendere. nam et plura extra urbem loca, praecipue ad ripam Aesaris,

destinarunt, quibus ea lue infecti exciperentur. inopesque, donec convalescerent, alimenta e publico accipiebant: servis etiam medicisque conductis, qui aegris fomenta et curationes adhiberent. ad eosque levandos qui suis domibus clausi in urbe restiterant, certis temporibus, ii quibus ea curatio obvenerat, cum jumentis, pane atque omni obsoniorum genere onustis, circuibant: aliis pretio, plerisque egentibus gratuito cibaria praebentes. et ne in id opus aerarium deficeret, decretum ut a foeneratoribus mutuo pecunia acciperetur: hastaque proposita, ripae Aesaris circa Nuptianum, quas tunc populus possidebat, tertiaque pars vectigalium vendita: summaque inde redacta, egentibus distributa. Inter illustres viros, quos ea clades absumpsit, longe maximus extitit Joannes Paulus Gilius, qui tunc princeps designatus, biduo antequam iniret magistratum IV. kal. martii extinctus est. vir profundi consilii, ingeniique omnis magnae rei capacis, patriae amans, et ab ea vicissim dilectus, summisque et arduis negociis saepius adhibitus. plures legationes cum laude obivit: tunc III. princeps decemvirorum, si per mortem licuisset. visus est aliqua labe gloriam suam, nimia in Podios acerbitate laesisse. sed ipse quoque destinatus ad caedem

ferebatur: unde major illi venia, si publicas injurias ulciscendo, laesus modum non tenuit. Quae de ejus funere, nocturnisque imaginibus vulgata sunt, ab inimicorum dolore profecta, majorem excusationem habent quam fidem. periit V. et LXX. aetatis anno: ut non immatura mors videri possit, si sibi tantum vixisset.

Eo anno Andreas Auria praefectus regiae classis, ob negata stipendia, captivosque ereptos Francisco regi iratus, ad caesarem defecit. In quo a rege valde peccatum: quippe incommodo sibi tempore eum virum offendit, qui maris dominus, imperiumque tempestatum habere videbatur. nam ea defectione, Neapolis, quae mox in regis manus ventura erat, elapsa est: laxata obsidione per classis Aurianae recessum: et Genua Gallorum jugum excussit. cujus imperium, remittente caesare, cum Andreas obtinere posset, maluit patriam libertate obligare. Ad eum ut reipublicae amicum primo Balthassar Montecatinus, dein Caesar de Nobilibus orator destinatus: cui etiam additum in mandatis, ut senatus nomine, ei reipublicae libertatem gratularetur. In eo rerum motu alii ad diversos principes legati. ad summum pontificem Nicolaus Orsuccius; ad florentinam rempublicam Balthassar eadem gente ortus; et ad Senenses Blasius Maeus.

Inter haec aderat annus 1529. quo Gallus perpetua caesarianarum partium fortuna territus, colligendi sui spatium, per Luisiam matrem, Margaritamque Caesaris amitam, quae principes feminae in Belgarum finibus convenere, nomine pacis impetravit. Ea est fama celebris cameracensis pax, in qua inter alios regulos liberasque civitates, etiam Lucenses adscripti. Sed armis inter magnos reges positis, aliud bellum Italiae fortuna coquebat. quippe Clemens Florentinorum injuriis exasperatus, recepta jam pristina sacerdotii majestate, in ultionem toto nisu incubuerat. Quare caesaris animum nunciis ac literis in eamdem sollicitabat. eoque consilio cameracensi foedere Florentini adscripti non fuerant. Et Clementem quidem privatum odium, cupiditasque imponendi suos cervicibus reipublicae tamquam dominos, quos principes excusisset, movebat. Carolus urbem caesarum nomini infestam, a Gallorum latere avellere cupiebat: ac simul eo munere Clementis animum lenire, urbis direptione, et captivitate exulceratum. Ob haec caesarianis armis arausionensis regulus in Italia praefectus, qui septembri mense hujus anni florentinum agrum, per fines Perusinorum cum exercitu ingressus est. qua re audita, patres, ut antea XII, ita in eo rerum articulo XVIII.

civibus potestatem dedere, qui cum ducibus ac procuratoribus caesaris transigerent, iis legibus, quae ipsis magis honorificae, et ex utilitate publica viderentur. Interim missi oratores ad caesarem Bartholomaeus Arnulphinus, Balthassar Montecatinus et Blasius Maeus. qui postremus ab ea legatione reversus, a XVIII. viris ad arausionensem regulum una cum Hieronymo Arnulphino destinatus est. eodemque tempore ad Hispanos, borbonici exercitus reliquias, missi Hieronymus a Porticu, et Franciscus Burlamaccus. Quae dum ex veteribus monumentis transcribo, subit admirari senatus illius temporis vigilantiam; perpetua mentis agitatione omnia providentis, omnibus occurrentis: non caesarem, non reges, non aliquem principum aut liberarum civitatum, sed nec ducem aut exercitum omittentis; quin aut amicos retineret, aut infensos conciliaret: omnibus obsequendo ut nulli serviret. sed et civium erga rempublicam amorem ac studium, non labori itinerum, non curis, non impendiis parcentium: cum toties procul a domo, procul a domesticis rationibus excurrendum esset: quae omnia, clari illi et egregii viri, publicis utilitatibus rependebant. Eodem anno cum in provincia feroniana ac lunensi lites ortae essent: Joannes Baptista

de Nobilibus, et Henricus Boccellius Castrum novum; Bernardinus vero Mediceus, una cum Bartholomaeo Cenamo Montem Ignosum ad eas sedandas a senatu missi.

Turbidior reipublicae sequens annus (1) extitit, bello quod a caesarianis ducibus in Clementis gratiam adversus Florentinos gestum, finitimum populum contagione afflavit. Ipsis kal. januariis, cum ex diverso Clemens pontifex et Carolus imperator Bononiae convenissent; solemni pompa, adstantibus fere omnium gentium legatis, inter quos et Lucenses fuere, velut in conventu totius generis humani, pacis nomen publice fesso orbi insonuit. unde tanto major ex communi felicitate Florentinis moeror, quod uni orbis terrarum gaudia non sentirent. VIII. autem kal. martii in eadem civitate caesar manu pontificis, non auream modo, sed et ferream coronam suscepit: contra quam imperatoribus ex vetere instituto mos est. quo tempore suprema orbis capita, collatis consiliis, de mutando florentinae reipublicae statu, ut jam ante per nuncios, praesentes consensere. quo magis Florentinorum error patuit; qui ad unum captivi

(1) Ann. 1530.

pontificis nuncium ea fuissent ausi, quae, nisi illo in ordinem coacto, impune ferre non possent. non reputantes diversam ab aliis principibus pontificum conditionem esse. quippe regum caesarumque fortunam armis stare aut cadere: pontificum majestatem venerationi sanctitatis subnixam, aliquo impetu affligi posse: verum brevi etiam inermem, religione, quae aeterna est, convalescere, et in suo gradu stare, ipsis quoque qui eam contempserint adoratam. Igitur eorum res quotidie in pejus ruebant: et jam Philibertus arausionensis, magna florentini agri parte potitus, circa urbem ipsam castra posuerat. Erant in exercitu alii praefecti clari nominis, inter quos Fabricius Maramaldus, et Baucius Valorius: quos, ut praedis ac rapinis, ex propinquis Lucensium agris abstinerent, donis subinde delinire oportebat. Caeteris tamen infestiorem praebuit se Maramaldus: qui caede reguli Philiberti, in praelio quod cum Ferruccio Florentinorum duce in finibus Pistoriensium commissum est, interfecti, primas in exercitu partes agebat. Is paulo post ipso Ferruccio, ac plerisque florentinarum copiarum praefectis in praelio captis; inter eos etiam Paulum Ursinum filium Rentii Ceritis, clara inter duces ejus temporis fama, in potestatem redactum, Lucam in

custodiam misit, donec summa IV. millium aureorum redimeretur. Sed eam pecuniam repromittentibus Bartholomaeo Arnulphino, Ludovico Bonvisio et Leonardo Trenta, paulo post abire liberum jussit. verum cum primi pensiones suas pro portione solvissent, tertio inficiante ac etiam Luca excedente, iratus Maramaldus, immissis in agrum lucensem militibus, praedas agere non destitit, donec e publico, contra quam fas erat reliqua solverentur. Nec minora a florentinis praefectis damna inferebantur. quorum Ferruccius cum manu trium fere millium, inter quos D. equites erant, praeter urbis moenia in agrum pistoriensem iter faciens, inopia commeatuum, Medicinam ac nonnullos alios lucensis agri vicos ex improviso adortus, diripuit. quamquam non diu admodum ea injuria laetatus. quippe paulo inde in praelio captus, et ad Maramaldum perductus, ejus jussu interfectus est.

Praeter hos militum excursus largitionesque, quibus ducum cupiditates explendo graviora incommoda redimebantur; illud etiam detrimenti respublica capiebat, quod ad urbis praesidium, magnum extraordinariorum militum numerum alere cogebatur. non modicum etiam pecuniae publicae hauriebant tot

legationes, quibus in eo temporum motu, adstrepente finibus bello, tot avaris ducibus, tot assuetis praedae militibus, ad coercendas eorum cupiditates, necessario respublica se tuebatur. Nam praeter Nicolaum Orsuccium et Leonellum de Nobilibus, qui ad caesarem legati fuerant; Silvester Trenta ad Ferdinandum Gonzagam, qui arausionensis reguli loco successerat, destinatus erat. In castris caesareis Joannes Baptista Datus agebat. Andream Auriam Nicolaus Bernardinius assectabatur. et apud exercitum qui in agro pistoriensi in stativis erat, Josephus Tottus custos haerebat. His accessit, quod Clemens, bello, Florentinorum constantia in longius quam opinatus erat extracto, pecuniarum inops, misso oratore amicissimas literas ad senatum dedit, quibus magni beneficii loco XX. aureorum millia in quatuor menses mutuo tradi sibi postulabat, stato tempore cum usuris repraesentanda. Patres, quamquam in meliores usus libentius dedissent, ne incommoda difficultate pontificis animum alienarent, pro sua in eum summumque sacerdotium veneratione, postulata fecere. et quoniam aerarium immodicis sumptibus vacuum erat, decretum ut XX. civium opulentiorum a senatu lecti, aequis portionibus eam summam persolverent. interim ipsis duo vecti-

galium trientes pro capite ac usuris perscriberentur. primusque, ut alios exemplo moveret, Blasius Maeus decemvirorum princeps, nomen suum professus est. quem alii ex patriciis pari alacritate sequuti, pontificem compotem voti fecere.

Nec tamen interea quicquam omissum, quod, salva pontificis caesarisque majestate, in solatium Florentinorum fieri posset. nam cum multi nobilium, opulentique mercatores: praecipue autem illustres feminae cum virginibus puerisque, fessi obsidionis incommodis in urbem aut oppida migrassent, cives, quod alias in afflictis eorum rebus fecerant, illorum vicem miserati comiter excepere: alios hospitiis, alios alia re juvando: in aliena calamitate, ex ingenio meliorum, suam aestimantes. Verum Ferdinando Gonzaga civitatem in dies arctius premente, tandem Florentini tot malis victi IV. id. augusti hujus anni, caesari se permisere: dum ne qua libertati eorum fraus esset. Caesar pridie non. julii insequentis anni ita rempublicam ordinavit: ut Alexander, Laurentii quondam Urbinatum reguli filius, Clementem quinto gradu contingens; lectus a se antea gener, tradita illi in matrimonium Margarita, quam ex furtivo conjugio sustulerat, ducis nomine summam rerum obtineret. manentibus

in speciem senatus ac magistratuum nominibus, aliisque, quibus a liberarum civitatum occupatoribus, honestari solent funera libertatis. Caeterum vis imperii penes unum mansit. atque ita clara illa Florentinorum respublica, quae tot annis Italicarum rerum arbitrium tenuerat, dum crebris factionibus turbida et inquies taedio praesentium semper novis dominationibus studet; easdem mox pari levitate abjectura: alienae libertatis invida, suae impotens, nec regere nec regi facilis, extincta est: ut non sine Lucensium miseratione, ita non sine gloria: quod in tantis rerum procellis circum agendo se ac temporibus serviendo ea pericula vitassent: constanti apud omnes confessione, florentinam rempublicam potentia, lucensem sapientia praestitisse.

LIBER XIV.

BREVIARIUM LIBRI

Libertas periclitatur. plebs multas ob causas seditioni parata. Marsilla homo hispanus seditiosorum fautor, lege de serici opificio populus magis accenditur. Kal. maii initium turbandi factum. plebs nigro ac lacero vexillo cum armis per urbem discurrit. multa hominum millia ad D. Francisci aedem conveniunt. Matthaeus Vannellius pro concione verba ad populum facit. plebs XVIII. tribunos creat. ii cum decemviris causam plebis agunt. Concilium plebis iterum vocant. Senatus leniendae plebi legatos mittit. plebis postulata. Tribuni plebem incendunt. magistratus iis abrogatur. populus iterum furit. praesidium ad palatii custodiam decernitur. ob furorem plebis id S. C. rescissum. plebis nova postulata. cum de iis ad senatum referretur trecenti armati curiam obsident. ea senatusconsulto sanciuntur. plebs inter se dissidet. seditio iterum saevit. milites ex agro acciti. ob eam rem plebs magis efferatur. ad arma utrinque concursum. Decemvirorum pavor. milites regredi imperant. postulant a senatu, ut magistratu iis abire liceat. id dedecus etiam plebeii

prohibent. iterum ad arma discurritur. pugna committitur periculo majore quam damno. Patrum in curia terror. Podii adnitente populo honoribus restituti. novi tribuni creantur. Seditiosi libelli propositi. Senatus leniter cum populo agit. ob id a Clemente pontifice laudatus. Bonaventura Michaelius decemvirorum princeps populum alloquitur. dicenti plauditur. pax inter cives composita. Comitia habita ex patriciis ac popularibus. populi ob adeptos honores gaudium. memoria praeteritorum aboletur. ad discordiam reditum. in basilica martiniana tumultuatum. Aedes Francorum direptae. populus Bonvisiis iratus. aedes eorum oppugnant. ii clam urbe excedunt. Podii pro plebe arma capiunt. coetus in Marsillae domo acti: Concilium ordinum in palatium vocatur. milites ad palatii custodiam decreti. Sebastiani Menochii in patriam fides. populus in palatium cum armis concurrit. atrox Alberti novocastrensis facinus. quaestiones in seditionis auctores decretae. Signum e turri palatina capiendi arma datum. pugna inter patricios plebemque cooritur. Sana populi pars patriciis favet. Pelliones praecipue reipublicae fidi. patricii milites ex agris submittunt. praecipue Bonvisii. Martinus Bonvisius noctu cum copiis in urbem introducitur. plebs fugam arripit. Bonvisius pater patriae salutatur. orta luce civitas ad modestiam composita. Seditiosi in Marsillae domum confugiunt. ab eo ob metum deduntur. quidam eorum securi percussi. Cattani miserabilis exitus.

Matthaeus Vannellius securi percussus. in Podios iterum animadversum. Bartholomaeus Brancolus senator ob fidem factus, eique annua decreta. Marsilla urbe excedit. exules senatum apud caesarem criminantur. eorum calumniae depulsae. Populi lucensis ex eo tempore modestia.

Acta unius anni continet.



ANNALIUM

AB ORIGINE LUCENSIS URBIS

LIBER XIV.

Dum Florentinis vi et armis libertas eripitur, Lucenses pene suam abjecere. mota seditione plebis adversus patres: ipsisque patribus plebeque inter se discordi. malum magnis aeque parvisque civitatibus exitiosum: urbique nostrae sine dubio interitum allaturum; nisi senatus sapienti moderatione, furentem populum mitigare studuisset: omnia iratae plebi indulgendo; donec paulatim rediret obsequium: patriciique jam bonorum consensu victores, in ejus tumultus auctores legum severitatem distringerent: solutique metu suas reique publicae injurias ulciscerentur. jam inde a Podiorum suppliciis: ipsi, quique eorum affines, aut partium fuerant, puniti magis quam emendati, taciti ac dissimulantes occulta odia in tempus servabant. et sicubi se daret occasio, caeteram nobilitatem premendi, obliquis criminationibus vulgi aures implebant. et ut

quisque ingenio ferox aut lingua immodicus, quique praesenti dominationi infensus esset: is tamquam apta seditioni materia, publicas injurias insuper onerando, alebatur. quorumdam vero qui liberorum affiniumque, aut opum copia abundarent, ventosa ingenia honorum ostentatione inflabant: a quibus jam diu patriciorum superbia excluderentur. Et erant, si alias unquam, concipiendis motibus eo tempore popularium animi parata materies. quippe ob finitimum bellum arcta omnia erant, mercatoresque interclusis commeatibus, cum plena omnia militum essent, plebem sericorum opificio ali solitam, consueta ope destituerant. Itaque artifices, rempublicam ex annona aestimare assueti, quod temporum erat, hominum vitium interpretabantur: utque otiosae multitudinis mos est, curis vacui, adversus dominantes odia nunc accipiebant auribus, nunc lingua ipsi serebant. Aderat occultis primo, mox etiam apertis studiis commotae plebi exterus homo, Joannes Abrilius cognomento Marsilla: quem in Hispania Tarraconensi nobili loco natum, per initia florentini belli caesar ac pontifex, velut custodem civitati apposuerant, ne quid in favorem amici populi, contra ac ipsi cuperent, moveri posset. nec aliter senatus eum judicaverat: quamquam

eorum principum, reverentia palam obsequium ostentaret. belloque jam confecto tamen in urbe haerentem oblique cives intuebantur: ac paedagogum a se amoliri non tectis indiciis se cupere significaverant. Verum ille dissimulare, quaesitisque alia super aliam causis, discessum in dies differre: vana spe inflatus, posse sibi favore plebis in rebus turbidis viam ad dominationem sternere. Nec minimum momenti habuere irritandis vulgi animis nobiles viri, qui Florentia per bellum profugi Lucae consederant: miscentesque, praeterquam fas est, de aliena republica sermones; rem lucensem ab imperio populi ad paucos venisse criminabantur: nobiles familias, quae tunc gerebant rempublicam, etrusca urbanitate, angusti circuli nomine cavillantes: (1). tamquam pauci inter se honores ac magistratus dividerent: amplumque ac spatiosum universi populi orbem, in arctum collegissent.

Hunc animorum habitum, hos incentores, nata res adjuvit: et veluti praeparatae compositaeque materiae facem subdidit. Mense januario anni 1531. Joanne Guinisio principe decemvirorum, sive quod ita publice intererat, sive

(1) I signori del cerchiolino.

quod a multis creditum, ut pauci quidam soli quaestum facerent, jactatum in senatu fuerat, sericam artem, cui maxime urbs innitatur, paulatim vitio artificum deteri ac obsolescere: nique mature obviam iretur, penitus interituram. Itaque ex S. C. negocium datum consulibus mercatorum, ac praeterea VI. viris, qui fuere Jacobus Arnulphinus, Stephanus Burlamaccus, Martinus Bonvisius, Bonaventura Michaelius, Joannes Bernardinius, et Franciscus Balbanus, ut ei rei consulerent: collata eisdem potestate novarum legum condendarum, aut veteres corrigendi mutandique, prout expedire judicassent. Vix novae leges propositae, quibus immutata vetere consuetudine; ne quis suo nomine sericam exerceret nisi certis condictionibus, plebejo homini arduis, vetabatur, manipretia imminuebantur, tum nonnulla alia parum vulgo accepta statuebantur: cum, jam pridem tumentibus animis, plebs omnia querelis implere: nec aliud quicquam in angulis, foris, taberniis, praeter invidiosos adversus nobilitatem sermones audiri. Capita legum crudelia, iniqua, et a tyrannis potius quam a patribus profecta clamitare. Nec deerant, ut supra memoravi, qui ungues huic ulceri admoverent, ac insanientibus furorem adderent. Erat tunc in civitate ingens eorum

artificum numerus: quippe supra tria jugorum millia uno tempore telis impositis fuisse constat: ut magna pars sapientiae fuerit, ea novitate tantam civium multitudinem non irritare. Nec soli artifices, quique seditionum materiam venabantur, eam legem damnabant sed etiam apud nonnullos optimatum iniquis, rumoribus erat. quasi eo interdicto, egentibus se ac familias sustentandi ratio adimeretur. qui sermones in vulgus editi, populi spiritus auxere: majoremque illi ad audendum licentiam fecere. quorum civium ut animus excusari possit, ita certe veniam facto difficile concesserim. quippe in decernendo, sententiae suae tenacem unumquemque esse oportet: ubi quid decretum publice est, etiam iis qui dissensere laudandum.

Mos erat, ut nunc quoque, ipso naturae gaudio invitante, plebeiis juvenibus kal. maji per urbem discurrere, festisque carminibus per lasciviam in compitis vicisque personare. Id ludricum eo anno in rem seriam conversum, initium tumultus extitit. Aderat kal. majarum consuetae lasciviae praestitutus dies: cum populares, majore quam antea numero, sub lucem ad CC. coiere: non ramis floribusque de more implexi, sed loricis galeisque armati, accincto ad latus ense: humerisque quidam hastas,

ridiem multa hominum millia ad D. Francisci aedem convenere: sparsique per adjectas porticus, quod divae Luciae sacra aedes iisdem porticibus conclusa turbam non caperet; cum alii alia minitabundi ac irati jactarent, omnes tamen in patricios, ut in auctores legis, fremebant: nullo discrimine, sed ut quemque caecus animi impetus raperet: ita ut is conventus, magis inconditae ac tumultuantis turbae, conceptum dolorem per querelas minasque egerentis, quam certum aliquod consilium capientis speciem praeferret. cum Matthaeus Vannellius in medium progressus, omnium in se ora oculosque convertit. Is vetere ac honesta familia ortus, animo audax, lingua promptus, ingenio judicioque ultra plebem acer, in hunc modum adstanti concioni loquutus fertur. « Si quae unumquemque vestrum, optimi aeque ac miseri cives, in hunc locum » injuria excivit; quantam omnibus querelarum materiam, parem singulis praeberet dicendi libertatem; tacitus profecto alios libentius audissem, quibus aetate usuque rerum, aliisque dotibus nullo pacto sim comparandus. Sed dum majores natu, intempestiva modestia inter se mussant: maluntque potius queri, quam consulere; non patiar huic tantae multitudini, quanta fortasse

» non alio tempore coivit, ut caput defuisse » videatur: neque servili silentio, publicam » causam, vel meo periculo deseram. Verum, » imprudens fortasse sim, qui quorum mihi » animos conciliare debeam, importuna seve» ritate castigem: sed, verbo absit invidia, » dum hanc tantam concionem circumspicio, » videor mihi intueri, non fortium virorum » coetum, quos injuria in ultionem accen» dit; sed imbellium feminarum ac puerorum » gregem, inanibus minis iras retractantium. » Jam satis patientia peccatum est: et facili» tate tolerandi saevitiam dominis fecimus. » Si dolendi tantum huc causa convenimus, » egimus quantum satis ad crimem est, ut rei » majestatis simus: nec novam legem dissolvi» mus, sed veteribus obligamur. consilio, non » querelis est opus. nec imprudentium medi» corum similes, attoniti ac stupentes, stulta » misericordia, illacrymari morbis, sed reme» dia quaerere debemus. Fuit olim cum pa» tricios, patronos plebis ac patres, majores » nostri experti sunt: cum nobilitas non suis » magis, quam plebis commodis laetabatur. jam » eo superbia illorum excrevit, ut non am» plius civium, sed, si diis placet, servorum, » ac pene hostium loco nos habeant. sed » dissimulari potuit, donec intra externa bona

» eorum saevitia stetit. Eripuerunt nobis rem-
» publicam, et e communi suam fecere. passi
» sumus. sibi magistratus, sibi honores, nobis
» contra jus fasque exclusis usurparunt. re-
» misimus. Libertatis decus, quod omnes auro
» ac sanguine emimus, ut haberent soli, quo-
» niam sic voluere, concesssum est. Jam for-
» tuna nostra minime satiati, sanguinem ac
» vitam expetunt. Taceo quod jam pridem
» annona laboramus. et utinam in causa sit
» bellum externum potius, quam domestica
» avaritia. patiamur persuaderi nobis nos alie-
» na calamitate esurire. eas artes, quibus vi-
» tam et spiritum ducimus, quibus uxores,
» quibus liberos, quibus familiam alimus, cru-
» deliter eunt ereptum. si, quod nati sumus,
» imperare non patiuntur, liceat saltem la-
» borare, liceat vivere. nunquid etiam indi-
» gnantur quod animam trahimus, quod vi-
» vimus, quod spiramus? hoc ne passuri su-
» mus, optimi cives, ut has publicae libertatis
» reliquias, importuni, jam non patres sed
» tyranni, nobis extorqueant? tantum ne, non
» dico infra libertatem, sed infra servitutem
» erimus, ut etiam labores sub domino sint?
» Tu ne in posterum arbitrio tuo opus faci-
» to. ubi per diem totum animam et corpus
» vexaveris, tantum accipito, quantum crude-

» lium dominorum avarae sententiae visum fue-
» rit. si aliter faxis, Saxum et compedes ex-
» pectato. quid aliud est nisi hoc dicere:
» conferte domum, et ubi infelicibus liberis,
» miserae uxori, lacrymans lacrymantibus su-
» premum osculum tuleris, caput obvolvito,
» et te in Aesarem praecipitato? quid ergo
» consilii affers? dicet aliquis. ego vero, quam-
» quam adversus impotentes ac superbos do-
» minos juste vim suadere possem, tamen il-
» lud potius consulam quod vobis dignum
» est, quam quod illi merentur. maneat im-
» perii quamquam injusti reverentia: nec nisi
» coacti exuamus obsequium. quod ferro et
» armis extorquere possumus, precibus potius
» impetremus. Eligamus e nobis qui injurias
» nostras ad senatum deferant, qui commu-
» nes querelas publico nomine exponant; si
» patres legem abrogabunt, pro ingenti victo-
» ria nobis erit modestia vicisse. sin duri
» et crudeles lacrymis nostris aures occluse-
» rint; si viri sumus, quod manus nostrae
» nobis praestare possunt, frustra negaverint.
» et vos justiorem causam vestram facietis,
» qui prius preces quam arma sumpsistis ».

Magno assensu Vannellius auditus est: qui ita orationem temperaverat, ut eorum et qui vim et arma, et qui tranquilliora consilia spe-

ctabant, sensus complexus esset. Itaque cum utrique pro se loquutum crederent, auctoritatem ejus sequuti, XVIII. qui caeteros prudentia anteirent, ex suo corpore tamquam tribunos defensoresque plebis creant; per quos eorum vota ad decemviros senatumque deferrentur. Tribuni, ut plebem etiam religione vincirent, eam sacramento adigunt, nunquam destituram, nisi senatus aut sponte aut ingratis eam legem abrogasset: adjecta multa, quam solveret is qui fidem fregisset. eaque omnia publicis tabulis sanciunt. Dimisso plebis concilio, novi tribuni, quorum princeps Vannellius erat ejus consilii auctor, ad palatium pergunt: decemvirisque pro collegio mandata plebis exponunt. multaque de novae legis acerbitate conquesti, orant ut tamquam populi patres, veterem consuetudinem restitui curent: inque tam justa re plebi gratificari velint, cujus fidem virtutemque in asperis reipublicae temporibus toties experti essent: quaeque tam saepe pro patria, pro libertate, sanguinem ac spiritum fudisset. Decemviri, quorum princeps Martinus Cenamus erat, vir bonus plebisque amans, benigne auditos, bono animo esse jubent: pollicenturque se quam primum de eorum commodis ad senatum relaturos. quem, ipsos non dubitare, tamquam parentem

publicum, cum animum habiturum, quo semper in optimos fidelesque cives fuisset. Leniter interim castigata populi temeritate, docent quibus poenis se obligassent, coetus contra quam fas sit agendo. quos quamquam adversus libertatem, adversus rempublicam scirent; nemini tamen fraudi futuros: nec violatam ea coitione majestatem senatus ad cognitionem vocatum iri. Cumque hoc responso eos dimittunt. Tribuni quamquam promissis onerati, postrema decemvirorum verba in animum alte demiserant: secumque reputantes, coetus actos, plebem jurejurando obstrictam, se tamquam novae alicujus reipublicae magistratum creatos, aliaque, quae non procul a seditione essent, facta, timor incessit, ne patres verborum officiis delinita plebe, ut incauta opprimeretur, gravius aliquid consulerent. quod si evenisset, primam procellam capiti suo imminere, qui tamquam duces aliorum essent. Auxerat hunc pavorem, seu vero seu falso vulgatus rumor, decemviros ex agro milites imperasse, quibus contumaciam plebis frangerent. Itaque non expectato ut eorum preces ad senatum referrentur, edicunt ut proximo die omnes sericorum artifices in eundem locum frequentes conveniant. Igitur VI. non. maii, majore quam pridie numero, non tantum ejus artis,

sed caeterarum omnium opifices, atque adeo plebs fere universa, velut de communi statu in medium consultura, ad D. Francisci cum armis confluxere. tantusque confluentis undique populi concursus extitit, ut forum, aedes, adjectae porticus, viaeque multitudinis undam non caperent. Perlata ad decemviros ejus consternationis fama, raptim, ut in re trepida, lectos senatorum ad colloquium vocatos, rerum statum docent: et quid opus facto sit, sententiam exquirunt. Placuit ire ex ipsis natu atque auctoritate majores, qui tractando ac lenibus alloquiis, efferatos plebis animos mansuefacerent. darentque fidem publico nomine, senatum quae postulassent facturum, veniamque praeteritorum pollicerentur. Ivere Joannes Baptista de Nobilibus, Bernardinus Cenamus, Ludovicus Bonvisius, et Joannes Baptista Minutulus. Ubi ad forum D. Francisci perventum est, attonitis similes omnia referta armatis circumspiciunt. Ad se venientes plebs undique circumsistit. inconditis clamoribus, legis duritiam, injurias nobilium, annonae angustias incusat. nec deerant qui superbe ac minaciter obstreperent, non levi ipsorum metu, quos inermes ac destitutos in tot armatorum millibus, sola publicae majestatis veneratio muniebat: leve subsidium adversus

iratos. Enisi per confertam multitudinem in aedes pervenere; quae undique murmure ac fremitu, qualis commoti ac irati populi esse solet, perstrepebant. Ibi cum legati decemvirorum, pro se quisque, immisti multitudini, leni oratione mulcere animos, ac revocare ad sanitatem studerent; Minutulus ex edito loco, ut ab omnibus conspici posset, silentio facto, in hanc sententiam loquutus dicitur. « Quid » rei est? optimi cives. quae tam repens con» sternatio animos vestros immutavit: ut qui » toti Etruriae, imperii reverentia exemplum » hactenus extitistis; nunc eam gloriam im» minuere per tumultum ac seditionem ve» litis? Quid ab externo die novi accidit, ut » qui e conspectu decemvirorum placidi ac » sedati discesseritis, nunc minaces ac tur» bidi vim et arma intentetis? abrogari le» gem postulastis. atqui id nisi habito senatu » fieri non potest, quem hodie vocandum tu» multu vestro antevertistis, non sine contu» melia optimi principis, de cujus fide ac » misericordia adeo temere spem abjecistis. » Hic ne est ille populus, qui toties pro li» bertate publica ad extremum spiritum pu» gnavit? qui toties pro republica sanguinem » profudit? qui fortissima pectora murum ho» stibus objecit? qui nuper laboranti curiae,

» vocante nullo, elatis sponte vexillis, districtis ensibus, tam alacris accurrit »? succlamatum est ab universa concione: « se quidem illum populum esse: sed non eosdem patres, non eundem qui olim esse senatum ». Tum ille. » Et vos quidem iidem qui antea estis, » satis scio. Sed an nos iidem patres, iidem » patroni hujus amantissimi populi simus, qui » ad hanc diem fuimus, falso errore decepti » dubitatis. Quae vos vana opinio in hanc » fraudem induxit? quo auctore, pestifera ista » credulitas animis vestris irrepsit? quis tam » perniciosa dissidii semina inter nos sparsit? » jamne vobis excidit, quemadmodum nuper » malignitate terrarum anni spe amissa, perituri fame fuistis, nisi apertis horreis nutritor vester senatus succurrisset? Jamne » obliti estis, ut saeviente dudum pestilentia, » ille manus suas morti injecit: confectosque » macie, fomentis, servitiis, cibis, hospitio » exceptos, tamquam filiolos sinu complexus » amanter fovit? Cui virginum vestrarum pudicitiam nisi senatui debetis? qui corporum » florem inopia ac fame venalem, in hoc » tantum emit ut servaret. Nec est quod illum de unius capite legis aestimetis. quae » bono animo lata, jam abrogata esset, nisi » maluissetis illam antiquare gladiis quam suf-

» fragiis. quod injussu patrum coetus mi-
» scuistis, quod novum magistratum creastis,
» quod impio sacramento vos devovistis, im-
» pune erit: inque publicam fidem obstringi-
» mus. quin, si quid vestro nomine ad sena-
» tum deferri cupitis, ut sedato animo, sic
» voce denunciate: certi, quot sumus, toti-
» dem vos patronos ac suffragatores apud
» senatum habituros. Tantum arma, cumque
» ipsis iras ponite: et dum senatus patris cu-
» ras et misericordiam capit, vos filiorum
» verecundiam et obsequium recipite ». Eadem collegae pollicebantur. Sed in tanta multitudine neque respondere quisquam, neque exaudiri satis poterat. tantum permistis confusisque vocibus fremitus audiebatur, acerbitatem legis accusantium. Et quidam vetera laudantes, civium nomina qui pauperum patres extitissent, cum honoris commemoratione invocando, praesentium temporum iniquitatem insectabantur. fuere qui annonae caritatem, eamque etiam corruptam exprobrarent: nonnullique, exuta verecundia, eo progressi sunt, ut atro pane e sinu elato, Ludovicum Bonvisium ex eo vorare coegerint: per ludibrium rogantes an suavis esset? sed quod ab altioribus causis proficiscebatur, a quibusdam prociter acclamatum: » novis hominibus la-

» xandam esse rempublicam; nec tam angustis » spatiis senatum magistratusque definiendos. » Nec populum jubere, nomine ipsius ad se» natum deferri ». Missi a decemviris, quantum salva majestate reipublicae poterant, submisse loquebantur: legem omnino abrogandam: annonae inopiam ex temporum malignitate ortam, jam finitimo bello confecto mitiorem futuram: de senatus ac magistratuum numero, non iniqua eos postulare disserebant. Itaque plenos bonae spei dimissos abire jubent, ipsi ad decemviros revertuntur. Jam eorum jussu senatus sub noctem frequens in curiam convenerat. Utque exasperatos plebis animos delinirent, honores ostentando, vocaverant, ut mos est ordinariis deficientibus, inter suffectos, Rodulphum Matrainum popularem hominem, honesta ac opulenta, nec minus numerosa familia ortum: et cujus apud populum magna auctoritas erat: ventosum praeterea, et, ut constabat, jam pridem ei spei hiantem. Cum a principe relatum esset de plebis motu ejusque origine: quamquam parva re extingui surgens flamma potuisset, ubi ad dicendas sententias ventum est, alii obnitendum contra censebant. « Si plebs eos timere sensisset, » majores spiritus sumpturam: novisque in dies » postulatis senatum fatigaturam. equos sentire

» sessorem. alacrem animo patienter tolerare; » paventem succutiendo effundere. naturam » furentis populi igni similem: inoffensum late » cuncta corripere: ubi quid obstet, vires » ejus debilitari. Si unus aut alter e fero- » cissimis arriperetur, caeteros alieni periculi » admonitu modestiores futuros. Non absurde » a medico Fabricio Nobili dictum, cum a » seditiosis tentaretur, se morbum eorum cal- » lere: nec ex eo convalituros, nisi pharma- » cum restium praescriberetur ». Vicit tamen ea pars, quae obsequendum plebi existimabat. « Plebem reipublicae partem esse: nec » sine motu totius corporis posse convelli. » Vulnera adhuc recentia asperis remediis mi- » nime attrectanda, ne ipsa curatione cru- » descerent ». Itaque legem abrogari placuit. cui benignitati sponte a senatu adjectum, ne cui coetus contra rempublicam acti fraudi essent: praeteritorumque memoria aboleretur. Quae plebi nunciata, illam ingenti gaudio affecere. Defunctaque eo malo civitas erat, lucensi populo per se ad modestiam facto, ac parvis rebus placabili; nisi quidam, qui eum motum in privatas rationes trahere cogitaverant, vanescere incipientem rursus intendissent. Hi vetere ac honesto loco nati, artiumque industria ac parsimonia opibus

satis instructi, altiorem fortunae gradum posteris relinquere jampridem concupierant. Diuque circumspecta occasione, eum tumultum velut opportunum conatibus suis avide arripuerant. Quare cum jam considere illum animadverterent, clam tribunos adeunt: laudibusque, ac gratulationibus in caelum attollunt. „ eos viros fuisse praedicant, quorum beneficio plebs, jam malignitate ac superbia patrum obtrita, caput sustulisset. Sed nihil „ actum, nisi etiam rempublicam, ambitione „ nobilitatis jamdiu ereptam, populo restituant. quando patres jam iratae plebis vultum timere coepissent, instandum perculsis. „ non expectandum ut sponte ipsi redderent, „ quod tot annorum spatio, tamquam seris „ vectibusque clausum ac obvallatum defenderent. nihil aequi bonique ab eis nisi „ per vim impetrari posse. refringendos esse „ aditus honorum, dejiciendumque nobilitatis „ praesidium, quo obsideantur. Unum Matrainum, tota in armis plebe, in senatum accitum. si quies tranquillitasque civitati redeat, et ipsum e curia haud ambigue exturbandum. Sed fac eum retineri, quid unum „ posse adversus totam aciem nobilitatis? nunquam plebem fore tutam ab injuriis patriciorum, nisi e suo corpore plures senatores

„ essent. Patrum animos ea seditione exaspe-
„ ratos, occultas iras coquere. fidem senatus
„ tamdiu mansuram, quamdiu timuisset. ubi
„ quid adversi plebi ingruat, tunc odia et
„ ultionem promenda. apponendos igitur ira-
„ tae nobilitati custodes, qui lingua ac suf-
„ fragio saevis consiliis intercedant. Non se
„ solos, sed multos nobilium praesenti domi-
„ nationi infensos eadem sentire. auderent
„ proinde, scirentque, plures quam pro opi-
„ nione, adjutores eorum coeptis futuros ».

His moti tribuni, simul quia sperabant, si res pervinceretur, se primos fruituros, iterum plebis aures seditiosis vocibus invadunt. « Ni-
„ hil actum tanto conatu, si praesenti tan-
„ tum utilitati acquiescerent. providendum in
„ posterum, ne patres adversus plebem mo-
„ liri aliquid possint. dissimulare nunc iras,
„ frontemque exporrigere. benigne appellare,
„ atque omne studium officiumque polliceri.
„ Sed ficta haec et in tempus composita,
„ data occasione, veram speciem sumptura.
„ fugitivos equos, blanditiis et plausu revo-
„ cari: receptos, fraeno et calcaribus urgeri.
„ Si patres haec veris animis agerent, red-
„ derent plebi rempublicam: aperirent popu-
„ laribus senatoribus curiam, qui suam cau-
„ sam praesentes, sententiis suffragiisque de-

„ fenderent ». His apud plebem jactatis, ut mobiles vulgi mentes sunt, et in quamcumque impuleris partem sequaces, iterum accensi resides animi: eorum praecipue, quos in priore motu ferocius loquutos, metus ex conscientia stimulabat: veriti ne si patres iterum valescerent, per occasionem parvae alicujus noxae praeteritorum poenas expeterent. Itaque passim ac publice queri: « rempublicam ad pau-
„ cos redisse. patricios alterum alteri hono-
„ res magistratusque per manus tradere. non
„ passuram plebem potestatem suam obsole-
„ scere; sed vi et armis, si opus sit, jus
„ suum exequuturam ». et jam iterum coitiones fieri coeperant: actoque plebis concilio in aedibus Paulini Boccellae, cujus clarum inter populares nomen erat; has leges ad senatum referendas scivere. « Ut numerus sena-
„ torum augeretur: quique nunc e singulis
„ tribubus XXX. sint, in posterum XL. lege-
„ rentur: ita ut senatus universus ex CXX.
„ constaret. ne ex eadem familia plures quam
„ III. eodem anno senatores esse possent: neve
„ quis eodem tempore praeter quam duos ma-
„ gistratus gereret. » Tum X. ex singulis tribubus popularis factionis perscripsere, quos in senatum legi volebant. Ea postulata communi nomine ad decemviros detulere Vincen-

tius Granuccius, et Bartholomaeus Brancolus, uterque splendida, ac vetere familia, (altera etiam decemvirali in Bartholomaeo Brancolo, qui anno 1454. eum magistratum gesserat) sed quorum animi in rempublicam, ac exitus longe diversi fuerint. Nam Granuccii turbulenti, factiosi, quique ad ultimum fere omnes, interque eos Vincentius, hostes judicati: Bernardinus, etiam securi percussus, Paulino idem passuro, nisi prope diem supplicio afficiendus, e custodia profugisset: Brancoli vero, si Andream et Simonem ex alia stirpe fratres excipias, qui in iis turbis maxime caluerant; ita egere, ut nec populo suspecti, et nobilitatis gratiam inierint: unde Bartholomaeo ob egregiam in iis motibus erga rempublicam fidem a senatu annua honoraria constituta: ejusque posteri ad hanc aetatem omnibus honoribus in republica fruuntur.

Decemviri ad senatum quamprimum relaturos professi, benigne legatos dimisere. VIII. kal. junii, omnia senatusconsulto firmata: (patribus, quamquam aegre ferrent, ob quietem publicam obsistere non ausis:) tanto populi gaudio, ut sponte, in gratiam senatus, tribunis magistratum abrogaverint. cum praesertim omnes fere in numerum novorum senatorum allecti fuissent: inter quos Vannellius fax

popularis seditionis, mox etiam decemvir designatus: sed qui eum honorem, securi percussus adire non potuerit. Sed non diuturna ea tranquillitas fuit. nam tribunis in ordinem coactis, cum alii a populi causa se omnino secrevissent; nonnulli tamen sublato nomine vim retinebant: quibus etiam ex aliorum recessu, amplitudo atque auctoritas creverat, tamquam soli, spreta invidia, patrocinium populi non relinquerent. Itaque eorum favore rixae interdum ac caedes fiebant:. crescebatque in dies audacia, multis se populo venditantibus, qui tranquillis rebus diffisi, per turbas factionesque aditum ad honores sperabant. Nulla tamen adhuc novi tumultus indicia apparebant: cum XVII. kal. augusti, erumpendi initium casus fecit. Ea die sub vesperam, sive fraude ejus artis, sive ob aliam noxam, artificem sericum, quem popularibus facetiis murem vocitabant; hominem procacem et turbas concire solitum, satellites corripuere. is vociferans, plebisque fidem implorans, concursu facto, vi ereptus est. nonnullis apparitorum, qui obsistere ausi fuerant, male multatis: quibusdam etiam in eo tumultu interfectis: in ipsumque praefectum impetu facto, qui in palatium decemvirale fuga elapsus, se se furentibus subduxit. nulla neque lictoris,

qui cum fascibus ad dirimendam rixam jussu decemvirorum accurrerat: neque praetoris ipsius reverentia, qui eo rumore excitus, ac saevientes pro potestate increpitans, minis exceptus, ac manu pene violatus est. eoque populi furor processit, ut armati palatium obsederint, clamitantes non se pedem inde moturos, nisi praefectum dederent, ac e fenestris dejicerent. Praecipua plebis in eum ira, quod paucos ante dies, per loca urbis popularibus frequentia praeteriens, ab otiosa juventute per lasciviam exsibilatus; ed eos respectans, mota manu malum minatus fuerat: dictitans, scire se illos ab insania non destituros, donec ex eis longam trabem onerasset. Sed interventu quorumdam e populo, quibus bona mens erat, qui adeundo prensandoque singulos, ut ab eo furore temperarent, obnixe orabant; decemvirosque in praefectum animadversuros pollicebantur, ea seditio discussa. Praefectusque clam urbe emissus, caedi subtractus est. Postero die senatus venia proximi tumultus facta, ut res deinceps tranquilliores essent, decemviris potestatem fecit, ut cohortem C. militum ad palatii custodiam conducere possent, quod quamquam plebi iniquum, tamen etiam qui in senatu e popularibus erant, assensere, earum turbarum jam pertaesi: ade-

ptique, quod magno ambitu concupierant, quiete parta dignitate frui volebant. Id ubi in publicum perlatum est, plebs instinctu offensae nobilitatis fremere, ac senatusconsultum tamquam iniquum tolli, rescindique flagitare. qua etiam in re obsequendum plebi patribus visum, servientibus tempori, qui ea dissimulatione servare rempublicam cupiebant, a nonnullis optimatum ob privatas offensiones haud obscure desertam. Itaque S. C. antiquatum est, omissaque in praesens praesidii mentio. Per id tempus quoque, plebis animis deliniendis, sancitum ut praetia annonae imminuerentur; quae, capitum censu acto, singulis, ne qua fraus ab avaritia fieret, pro portione dividebatur. datumque negocium III. viris, ut quicquid olei vinique in cellis repositum esset descripto, copiosos egentibus vendere aequis pretiis cogerent. nec quicquam a patribus omissum, ut mulcendo tractandoque plebis ferociam mansuefacerent.

Sed non ideo populus ab incepto desistebat: in eo pertinax, ut spatia honorum locique hactenus angusti laxarentur. Itaque eo flagitante leges a senatu latae, altera III. nonas augusti, altera VI. kal. octobris, quibus cavebatur: « ut in posterum nullus decemvir „ creari posset, cujus pater alibi quam Lucae

„ ortus esset. Ne quis princeps fieret minor „ annis XXX., aut decemvir minor XXV. cum „ antea per legem annalem a vigesimo creari „ posset. Ne ex una gente plurium quam V. „ in comitiis ratio haberi posset »: cum antea nullus modus definitus esset, sed, quot erant ad gerendum magistratum idonei, totidem designarentur. unde invidiae ac querelarum causae iis, quorum familiae angusto numero, ab aliis vinci in publicis honoribus indignabantur. „ Ne qui uno anno senator ordinarius fuisset, altero suffectus in „ curiam vocari posset. Ne cives novum se„ natum quotannis legere soliti, amplius a so„ lis decemviris, sed ab universo senatu crea„ rentur. Ut comitia in biennium antea fieri „ solita, deinceps tertio quoque anno: neve „ amplius februario mense, qui antea comi„ tialis erat, sed decembri haberentur. pri„ mumque decemvirorum collegium januario „ mense magistratum iniret. proinde novissi„ mum album veterum comitiorum, in quo per„ scripti erant decemviri, januario anni 1532. „ honorem adituri, incendio cremaretur »: festinantibus hominibus novis ostentare se cum trabea ac fascibus populo, cujus favore in eum locum postliminio redierant. « Ut inter ordi„ natores comitiorum deinceps ex singulis tri-

„ bubus singuli minorum artium referrentur.
„ Ut ductores bini ex unaquaque tribu legerentur, cum ad id temporis singuli legi consuessent*». Nonnullaque alia constituta, quibus inopum ac miserorum fortuna allevaretur. Eaeque leges inter illas referri jussae, in quarum verba nominatim decemviros, solemni ineundis magistratibus kalendarum die, praeeunte sacramentum majore scriba, jurare mos est. Caeterum his populus vocem et auctoritatem, mentem consiliumque clari viri commodabant. Nec enim magnam aliquam mentem his abfuisse, calliditas subtilitasque eorum, quae postulabantur, satis ostendit. quae quamquam nobilitati dura et acerba, tamen patriae amore, quae sine ordinum concordia servari non poterat, transmittebantur. Nec contradicere tutum fuisset, cum jam populus curiae partem teneret: quin et cum de iis ad senatum referretur, ducenti trecentique cum armis curiae vestibulum obsidebant: ut intempestiva libertas nemini vilius quam aut morte aut vulneribus constitura esset. Et quoniam in tanta nobilitatis patientia, plebs tamen timere non desinebat, senatus III. kal. septembris veniam praeteritorum iterum fecit. Statuitque, ne quis ullo unquam tempore, ejus seditionis causa in judicium crimenque vocari

posset. creatusque XII. virorum magistratus, aequa portione patrum plebisque, qui conciliandi animos, pacandique civitatem sequestres essent. fuere ii Hieronymus Menocchius, Jacobus Burlamaccus, Balthassar Montecatinus, Joannes Maria Boccella, Caesar de Nobilibus, Dominicus Domenici dictus Morgantes, Martinus Bonvisius, Matthaeus Vannellius, Martinus Bernardinius, Blasius Maeus, Philippus Matrainus, et Andreas Brancolus. qui sedulam operam navarunt, ut positis discordiis, tamdem sincera pax coalesceret.

Sed plures factiones erant, quam ut pacari quietarique universae possent. nam quamquam plebs universa in odio nobilitatis consentiret, tamen inter se scissis studiis in diversa tendebat. et ut quisque auctoritate aut lingüa validus, partem populi ad se trahens, seorsim consilia habebat. Itaque in ipsa plebe discordiae ac secessiones erant. dum factionum duces, sententiam suam alter alteri praefert, maluntque singuli quam omnes vincere. quod certe salutare civitati fuit. nam si in unam mentem universi coissent, in tanta gladiorum impunitate, in tot armatorum concursibus, quot deinde facti sunt, aliquot hominum millia perire necesse fuit. sed dum alii caedem ac sanguinem cupiunt, alii prohibent

obsistuntque; iidem rempublicam oppugnabant et defendebant. magno caelestis providentiae consilio, cujus opem assidue per templa domosque, lacrymis ac votis, matronae virginesque, parique aetate ac innocentia pueri poscebant: parentumque ac virorum, fratrum, liberorum in acie stantium, ira mentes, ferro manus exarmabant. Post legem VI. kal. octobris latam, cujus ante meminimus, nullus insignis motus extiterat. sed eae discordiarnm induciae non pax fuit. quae novembri mense, Bonaventura Michaelio decemvirorum principe ita reçrudnere; ut lusisse hactenus plebs videri potuerit: ex eo vero tempore, serio ac ex animo agere coepisse. XV. kal. decembris ad arma repente concursum, instinctu cujusdam perditi ac scelerati hominis, quem cognomento Puteolum appellabant. Hic textrino opere vitam degens, audax, factiosus, inquies, fax et turbo quiescentis jam ac pene extincti motns extitit. assidue nobilitatem apud suos criminando, asseverans nunquam plebem fore tutam, nisi et ipsa rerum potiretur. Hoc incentore, circiter CC., quibus insignior audacia, sumptis armis in palatium se conferunt, clamitantes „ nolle se paucos tantum dominari: qui po- „ tentia ac auctoritate universum senatum

„ circumagerent. liberam esse civitatem, ejus
„ proinde consilium liberum esse debere. nunc
„ contra ad paucos tyrannos redisse rempu-
„ blicam: libertatemque re amissam verbo uno
„ stare. Patriciorum superbia ac fraude ple-
„ bem a reipublicae administratione exclu-
„ sam, jus suum persequi. et se quoque in
„ senatum venire, et honores capere velle di-
„ ctitabant „. Ad quorum tumultum universa plebs excita, statim in armis fuit: cunctique, nulla satis certa furoris causa, velut lymphati ad palatium convolantes, eadem clamitando, tumultuosis vocibus omnia complebant. Sed ut alias, accurrentibus ex eadem plebe qui saniora consilia spectabant, eo die discussa procella est: quae in magnum aliquod malum eruptura videbatur. Vulgusque, de maris ingenio, ut moveri, ita placari facile, satis habuit per itinera civitatis discurrere, iteratis clamoribus libertatem vociferando: eoque insano studio satiati, ad sua quisque dilapsus est.

Is tumultus fragorque dissonarum vocum ex propinquis villis exauditus, eam speciem habuit, ut ruere omnia, evertique civitas videretur. et quoniam eo anni tempore, universa fere nobilitas in agro est, atrocior suspicio metusque exortus, ne pauci a multitudine opprimerentur. cunctique, ex natura

pavoris, omnia in majus ex longinquo fingentis, direptiones domorum, caedes nobilium, occupatam arcem, amissam rempublicam ominabantur. seque modo felices, qui ei spectaculo non interessent, nunc miseros, qui in ea calamitate, suis reique publicae succurrere non possent, existimabant. Itaque cum nonnulli ex patriciis cum Ludovico Bonvisio in Villa Furcia, notae amoenitatis, per otium agerent, non expectatis certis auctoribus, praecipiti festinatione, succurrendi laboranti patriae consilium ineunt. Sed intempestivo amore dum servare cupiunt, pene perdidere. Igitur privato imperio ad Nicolaum Fatinellum, Campi majoris totiusque adjectae regionis praefectum literas mittunt, qui statim Ambrosium Narduccium, spectatae virtutis ducem, cum valida militum manu submitteret. Ita e republica esse, quae tyrannide plebis oppressa, vim suam explicare non posset. In eamdem sententiam, ac multo etiam miserabiliores, deinde Mozanum, ad Bernardinum Pieronium egregia militem fama, datae; „ quibus multas „ caedes factas, domos direptas, omnia sangui- „ ne redundare significabant. improbos trium- „ phare. bonos in metu esse. Decemviris ani- „ mos concidisse. omnia tumultu et armis „ plena. obsideri itinera: portas clausas ab

„ armatis custodiri. proinde si rempublicam „ salvam vellet, maturato opus esse. quammaximam posset militum vim, ex oppidis „ montanae regionis raptim conciret. ubi in „ conspectu moenium forent, cuncti libertatem acclamarent, ut decemviri scire possent, eos in auxilium palatii advenisse. idem „ militibus imperatum, qui ex alia parte acciti essent. Fidem ipsorum sequeretur: sciretque senatum rata habiturum, quae ipsi „ jussissent. Id coeptum ab amanti patriae „ animo profectum, fortasse utile fuerat, si „ felix fuisset „. Sed egregium consilium, ut plerumque solet, fortuna corrupit. His literis per nuncios celeriter missis, Ludovicus Martinum fratrem, qui unus ex decemviris erat, ejus rei per codicillos certiorem facit. Sed codicilli, fortunae malignitate intercepti, in manus plebis venere: qui perlecti ac in vulgus editi, tantum furoris concivere, ut raptis rursus armis, infestius quam pridie tumultuari coeptum sit. « enim vero animos nobilitatis „ patefactos: reclusa arcana senatus: et ex jam „ paucorum patriciorum literis, omnium mentes introspectas. non jam cum patribus, sed „ cum tyrannis rem esse: nec jam civium „ sed hostium loco habendos, qui, quantum „ in ipsis fuisset, trucidandum populum mili-

„ tibus objecissent „. His accensi quem primo ex patriciis obviam habuere, Silvestrum Trenta, infesto agmine invadunt, gladiosque ac pila intentant. furentisque populi victima eo die civis egregius fuisset, nisi Michael Angelus Roncalia, unus ex popularibus intervenisset: cujus occursu Silvester elapsus, in cujusdam plebeii domum se recipiens, ejus beneficio servatus est. Sed plebis furor in Roncaliam desaeviit, eumque tamquam partium desertorem, calenti ira interfecere. imbutisque semel gladiis, intra paucas horas, Hieronymus Massaeus et Bernardinus Magrinius caesi: ac Bernardinus Piccolus ferrea glande trajectus, ex eo vulnere interiit. eodem impetu, alii nonnulli proturbati vulneratique. Interea magis magisque armatorum manipuli confluebant: alii plebi, alii nobilitati opem laturi: raptis vexillis regionum, truncatisque in militiae morem, ut habiliora gestando essent. totumque spatium, quod ab urbis porta, quae meridiem spectat, ad palatium forumque: nec non amplum palatii vestibulum, armatis confertum erat. nec alio die, eorum existimatione qui interfuere, majus discrimen civitas adiit. quippe saepius infensi clamores sublati, compositi ad praeliandum gradus, directae in adversa ora hastae, ignisque ferreis arundinibus admotus:

ut si in tanta licentia, (quod pro miraculo fuit) unius temeritas initium caedi fecisset: omnia sanguine ac mortibus misceri necesse extiterit: ut non alia civili clade, lucensis populus ad famam posteritatis venturus fuerit memorabilior et clarior. In eo tumultu praecipuus decemvirorum pavor, cum septi tot furentum millibus, et velut carcere inclusi tenerentur: passimque tumultuantium voces exaudirentur; aliis expugnandas aedes. tectisque ignem subiiciendum; aliis cogendos in ordinem, aliis trucidandos in aliorum disciplinam clamitantibus.

Sed non alia re magis accensa rabies, quam adventantium militum fama, quos jam in conspectu urbis adesse nunciabatur. Itaque ad eum nuncium furentibus similes in moenia discurrunt; utque animis, ita clamore discordes, alii ut hostes conviciis incessunt, alii ut amicos laudant: hi procedere, illi stare, ac reverti minaciter denunciant. et prout continerent aut adderent gradum, aliorum plausus, aliorum fremitus minaeque audiebantur. tantusque erat inter se occurrentium tumultus, fragorque inconditos discordesque clamores edentium; ut nemo suos aut alienos nosceret: nec quid vellet quis, nolletve satis sciret. Illud constat, si adversa populi lucensis fortuna,

milites subire urbem sivisset, eam diem reipublicae futuram, aut ultimam, aut prope supremam. Sed propitii rebus nostris divi, eam decemviris mentem injecere, ut spretis eorum consiliis qui atrocia suadebant, pro imperio mitterent, qui milites increpitos reverti juberent. addita denunciatione, si quis pedem ultra tulisset, aut in posterum injussu suo senatusve arma caperet, pro hoste futurum. Ivere Martinus Cenamus et Tobias Sirtius, quem in oppido lunensis orae tenui loco ortum, sed a puero Lucae educatum, ac mox per honestas artes nobilem, biennio ante civem antiquae originis senatus creaverat: populo aeque ac patribus gratum. Nec ideo contactae semel suspicione vulgi mentes quievere. itaque in palatii vestibulo perseverabant, donec interim eorum duces cum decemviris de populi securitate paciscerentur. Ita demum convenit, adnitentibus Matrainis, Granucciis, Vannellis, Brancolis, caeterisque qui in populo principatum gerebant, ut portarum urbis claves, triplici sera clausae custodirentur: quarum unam princeps; alteram is decemvir, penes quem imperium esset; tertiam ipse apud se haberet, cujus fidei populus credidisset: (qui honos Vincentio Granuccio a populo habitus) ne noctu ad opprimendam plebem,

milites in urbem immitti a patribus possent. neve cui fraudi pateret locus, quamprimum aliae a prioribus claves portis imponerentur. Impetratum etiam, ut tormenta ex armamentario educere plebi liceret, quibus ad itinerum aditus dispositis, vim, si quae pararetur, propulsaret. Ita demum discessere: moerentibus patrum animis, quos duriora in dies pati, acerbitas temporum cogebat. Ob eum tumultum, cum decemviros sacris interesse in basilica D. Frigdiani mos esset; recurrente ejus Divi anniversario die, domi se continuere. tantumque pavorem animos eorum incessisse constat; ut postridie in senatu solvi legibus postulaverint, ut liceret eis abdicato honore privatos domum abire: cum se ob Martinum Bonvisium, cujus frater evocandorum militum auctor fuerat, suspectos ac in invidia apud populum esse scirent. Nec vana ea suspicio erat. quippe id quoque seditiosis vocibus jactatum fuerat: eum magistratum in ordinem cogendum, subrogandumque illum qui e praeteritis comitiis novissimus superesset. Quare ut dedecori obviam iretur, de ea re princeps Bonaventura Michaelius ad senatum retulerat, ut quod coacti facturi essent, fecisse sponte viderentur. Caeterum, adeo commotum ad haec verba senatum, memoriae proditum est;

ut obortis lacrymis undique acclamatum sit: tanto magis eos dignos qui eum honorem retinerent, quanto se pro quiete publica posituros profiterentur. Nec minus, qui e populo in senatum adlecti fuerant, id consilium tamquam plebi invidiosum, animo vultuque aversati sunt. e quibus Hieronymus Menochius conscenso suggestu, quamquam dicendi rudis, reipublicae amorem pro facundia habuit, affirmans: „ non ea honestos homines e populo „ velle; quorum consilia ad quietem et tran- „ quillitatem spectarent. non magni faciendum „ quid unus aut alter e plebe, per linguae „ intemperantiam ac temeritatem obloquere- „ tur. raro vulgus etiam quietum sapere: mul- „ to minus consilium ab irato requirendum. „ non inficiari se, in iis quae justa ac aequa „ existimasset, hactenus populo favisse: sed ubi „ reipublicae majestas in discrimen vocaretur, „ paratum se, non opibus tantum, sed etiam „ sanguine, ad extremum spiritum depugnare. „ In hoc uno, si contra populus sentiret, se „ non esse popularem. quamquam decus rei- „ publicae tueri veram popularitatem existi- „ maret. quare decemviri animum reciperent, „ eamque cogitationem ut abjectam et fasti- „ gio suo indignam pellerent: fortiterque cum

„ locum tuerentur, in quo eos et sua virtus „ et respublica collocasset ».

Hoc animorum motu, ubi sequens dies illuxit, populus iterum sumptis armis in publicum processit: nec segnius nobilitas, quique eas partes tuebantur, et ipsi in armis stetere: quo die, praecipue bonorum civium officio functos reperio Carolos, Francos, Parpalliones, Rapondos: cum quibus erat Gerardus Vellutellius, interfecti aliquot ante annos princeps Hieronymi filius; quem corpore, ac animo validum, globus juvenum nobilium tamquam ducem sequebatur. Hi cum in subsidium decemvirorum arma sumpsissent, ab eis palatium intrare vetiti, ne gravior aliqua suspicio in populo oriretur, in proximas Carolorum aedes se contulere; unde, si res posceret, facilis in hortos palatinos aditus erat. Interim ubi e turri decemvirali, signum vocandi patres in curiam datum, undique armatorum manipuli sub suis ducibus ad palatium confluxere. cunctis fere galeae loricaeque, paucis ferreae arundines erant: (nec enim tam vulgo, ut nunc, noxium adeo armorum genus tractabant) sed earum loco lanceas ac jacula, contosque ferro praefixos gestabant. Hinc intrantium, illinc egredientium palatii vestibulum

turba; tum murmur ac dissonae voces, aliorum vim inferre, aliorum sistere ac agere modeste jubentium, tumultu ac trepidatione omnia compleverant. ac plerique vagabantur quo impetus ferret, incerti quid agerent, quid omitterent. Quia tamen multi optimatum bono animo eos esse jusserant, data fide senatum ea decreturum quae ipsi probassent, major pars minas remiserat. quare cum Cosmus Corelius, qui agmen armatorum ducebat, aedes Carolorum praetervehens, comiter appellatos eos qui intus essent ad se vocasset, amicos deinceps futuros dictitans, cum sciret senatum ea consulturum quae ordinum concordiae ac utilitati facerent: illi qua appellati erant fide respondentes, ex aedibus in viam processere. sed coeptum concordiae vinculum ante quam coalesceret nova res abrupit. Eodem articulo duae popularium turmae, quarum unam ducebat Balthassar Stassemus, alteram Regulus Corellius Cosmi germanus ex diverso ad puteum Terellorum confluxerant, infensis animis: ea praecipue cujus Regulus ductor erat. quippe cum non longe a foribus palatii in Gerardum Vellutellium ejusque manum incidisset praelium commiserat, Gerardumque hastae ictu in terram dejectum pro mortuo reliquerat. sed conserti loricae hami, ut non tulerant im-

petum, ita ictum frustrati erant. quare prostratum corpus allevare tentantem, dum Regulus spe deceptus conficere parat, ab iis qui pro fenestris palatii stabant, ferreis glandibus appetitus prohibitusque, iram in rabiem verterat. Igitur nescius eorum quae amice a fratre agerentur, in juvenes evocatos tamquam in hostes procurrit. Illi contra se proditos deceptosque arbitrati, arma expediunt, seque ad praeliandum componunt, vim propulsaturi. Itaque atrox pugna committitur: ac invicem propellunt obturbanturque, non sine mutua caede ac vulneribus, periculo tamen majore, quam damno. In eo conflictu Petrus Carolus hastae impetu in terram dejectus, ac pro mortuo habitus: Martinusque ex eadem gente multum ferrato conto impulsus. juvere ambos ferrei thoraces, quibus ferientium ictus elusi in irritum cecidere. Durior Juli Caroli et Nicolai Franchi sors fuit: quorum primo, gladio nares inhonesto vulnere truncatae; alteri femur ingenti pilo trajectum. Julius dolore ac ira amens, cane ferreo parvi tormenti laxato, Thomam Vecolum alterius partis interfecit: quamquam ejus caedis auctorem alium fuisse quidam contendunt: is tamen tunc creditus: unde Bernardinus occisi frater in ultionem ferox, arreptis facibus, ignem Carolorum

aedibus immisit: qui tamen opportune oppressus extinctusque, latius incendium non effudit. nec ultra saevitum, longeque minor quam pro tumultu clades fuit. Dirempta pugna, alii alio dilapsi. Caroli paternas aedes metu vitavere: qui amicorum domibus excepti occultatique, ac furentium manibus subducti.

Nec eo secius, quamquam omnia tumultu, ac manipulis armatorum circa fremerent, senatus in curiam convenerat: patresque, ut in ea trepidatione satis constantes, de republica agebant. Sed attoniti plerique ac moesto silentio defixi, plus videbant quid in ea lugerent, quam quid consulerent. eoque malum jam creverat, ut desperationi propius quam curationi esset. eo die, ut supra memini, decemviri de abdicando magistratu verba fecere. turbatos satis per se patrum animos, perculit insuper Simon Brancolus, qui rem mali moris ausus, armatus irrupit in curiam: conscensoque suggestu, minaci voce professus est, nunquam populum quietum fore, nisi Jacobus Arnulphinus, Bartholomaeus Cenamus, et Ambrosius Narduccius in exilium pellerentur. quorum priores, adversatos maxime populi causae fama erat. iidem una cum Bonvisio milites acciverant: alter etiam inter invisae legis auctores fuerat: tertius evocatorum militum

ductor in invidia apud populum erat: eaque denunciatione facta Brancolus curia excessit. et quoniam non levis admurmuratio, favoris indicium, inter senatores popularis factionis exaudiebatur: Stephanus Bernardinius magno natu et auctoritate civis: « quoniam, inquit, „ paucorum temeritate, (militum evocatores „ oblique ea oratio perstringebat) cum jam „ res pacem spectarent, in has turbas iterum „ revoluti sumus, quidvis patiendum potius, „ quam ad vim et gladios veniendum censeo. „ consilio superiores, armis vincimur. et cum „ in visceribus periculum haereat, auxilia fo„ ris sunt. quare antequam illa subvenire pos„ sint. pauci a multis, perculsi a furentibus „ opprimi possumus. Itaque serviendum tem„ pori, et iratae multitudini pauci dedendi, „ ut cuncti serventur. nec optimos cives, „ tamquam publicae securitatis victimas, ca„ put suum devovere recusaturos existimo. „ aequitas et leges, res pacis sunt: in bello „ ac discordia, arma et vis valent. et ut „ gubernatores in mari, ita in republica pa„ tres, tranquillo eunt, tempestate feruntur ». Hac oratione permoti animi patrum, invisos populo in exilium agunt. Arnulphinus Lunam, Cenamus Lugdunum exulatum abiere. Sed nullum aeque ac Narduccium ea res offecit.

nam quamvis optimatium partes tueretur, tamen in rem suam eas turbas verterat: discordiasque civium vectigales effecerat. itaque lentus et contabundus substiterat; nectebatque in dies exilio moras: manu etiam oppidanorum collecta, quorum ope se a plebis injuriis tueretur. quod ubi a populo rescitum, missus eo flagitante a decemviris Marsilla ad eas turbas componendas; ejiciendumque contantem Narduccium: ea lege, ut eodem Marsilla inconsulto de eo restituendo agi non posset. quod quia patribus aegre futurum noverat, eo studiosius id populus contendit. Eodem adnitente exauctoratus Scarpellus Orsuccius, arcis Rotariae praesidii praefectus, Podiis adjuvantibus: inviso pridem Scarpello ob navatam adversus ipsos operam in caede principis Vellutellii. Eodem die, praeter quam qui hostes judicati fuerant, Podiorum familia in gradum honorum restituta: cum super ea re Maria Podia, Guinisiis matrimonio innexa, senatui supplicem libellum porrexisset: mulier audax, quaeque patribus ob caedes et exilia suorum pridem irata, seditionis ac turbarum fomes erat. Cumque a quibusdam in senatu dubitaretur, dicitur quemdam novorum senatorum elato pugione exclamasse, nisi vos restituetis, hi restituent. Praeterea ad populi voluntatem

alii e custodia emissi, alii ab exiliis revocati; quibusdam stipendia ac praemia constituta: sequente impetum popularem senatu, quia retinere non poterat. et ne quid patrum patientiae deesset, novum magistratum constituere necesse fuit, in quem conjecti de industria Dominicus Morgantes, Vincentius Granuccius, Cosmus Corellius, Matthaeus Vannellius, Andreas Brancolus et Philippus Matrainus, quos maxime populus venerabatur: iisque tradita potestas, qua ad arbitrium, portarum moeniumque praesidio milites imponere aut amovere, stipendia extraordinariis decernere permittebatur. Itaque veteribus amotis novi impositi, quique populi partium essent. et quamvis intra certos limites ea potestas consisteret, tamen is magistratus ejus spatia laxavit; sumpsitque sibi etiam caeterarum arcium praesidia mutare, praefectos regionum amovere, inter quos Nicolaum Fatinellum et Laurentium Guidiccionum exauctorarunt; addito ne in posterum hujusmodi praefecturas obtinerent. Ob quam licentiam tantus nobilium animos pavor incessit, ut plerique principum deserendam sibi urbem existimarent: aliique per alias causas, instrumentum ac suppellectilem aveherent, tamquam certam furentibus praedam. inter quos Matthaeus Gi-

lius, Franciscus Carincionus, Blasius Maeus, Franciscus Minutulus. Narrabat Timotheus Balbanus, qui admodum adolescens eum tumultum viderat, jam natu grandis, Franciscum gentilem suum, cum se a quibusdam popularium digito monstratum animadvertisset, qui eum per contemptum Galilaeum appellaverant, tanto metu correptum, ut e vestigio in Galliam migraverit, Lugdunique consederit. quam consternationem auxit inscriptio, qua mane quodam principis nobilitatis aedes uncialibus literis notatae repertae sunt, hoc uno tristi concepta verbo *desolabitur*: quo ruinas ac vastitatem iratus populus minabatur. Pessimum ex tuto docendi scelera inventum. cujus quamquam saepe unus aut alter, iique timidi et palam non ausuri, auctores esse soleant, tamen alendo furori aptum. quippe facti conscientia penes unum, contagio in omnes pervenit: et unius ignoratione cuncti timentur.

Verum quoniam hujusmodi migrationes invidiosae erant, his quoque populo flagitante consultum: cautumque ne quis paterfamilias mutandi soli causa, ex urbe agroque in posterum migraret. Et quia contactae semel suspicione mentes, interdum curatione ipsa insanabiles fiunt, ita vulgus, quo magis securitati ipsius patres consulerent, eo magis rebus suis diffidebat. quare ut arctioribus fraenis nobili-

tas contineretur, ne quid adversus plebem movere posset, super ea quae memoravi, scribam extraordinarium, custodiendis actis senatus, Ludovicum Matrainum eligi postulavit: et ut, pene dixerim, Deum ipsum cogeret esse popularem, ad aram Libertatis in majore basilica Laurentium Matrainum, et in sacello palatino coram decemviris Joannem Baptistam Danielum sacra facere voluit: tamquam sine plebejo sacerdote litari non posset. quem postremum, ne quid indignitatis deesset, decemvirali mensae jussit accumbere, tamquam incantae illlius inter vinum ac epulas horae custodem. per eum quippe cuncta arcana palatii in vulgus edebantur: cum nutus ipsi, ac interdum silentium in crimen vocarentur. Mirabitur, scio, quicumque haec nostra legerit; nimiaeque patientiae patricios arguerit, omnia plebis nutu ac arbitrio agentes. Sed ferox is iratae multitudinis vultum nunquam fortasse viderit: nec suis quaeque momentis pendens, cogitaverit quanto facilius sit res evertere quam componere. simul quantae sapientiae fuerit quaedam tradere, ne omnia amitterentur: iisque, caedem ac sanguinem civium, et orbitatem reipublicae redimere. CXLV. anni jam ab illo tumultu eunt, quo tempore nihil lucensi populo modestius, aut rectoribus suis obsequen-

tius: nec temere in alia republica aut lenius imperitatum, aut quietius servitum. Nam quae a filiis interdum per iracundiam aut dolorem peccantur, parentibus, quibus moderatio et sapientia major, dissimulatione potius transmittenda, quam per nimiam severitatem irritanda; nec unquam patrius animus exuendus; decernendumque aliam hostes, aliam cives ulciscendi rationem esse: quippe illic malum externum sine dolore amputari: hic rempublicam viscerum suorum partem trahere. Vidit hoc, sapientia aeque ac fastigio, illorum temporum maximus Clemens pontifex: ad quem cum quotidie turbarum lucensium fama perferretur; quique illi aderant, perditam rempublicam, amissam libertatem non dubitarent; falli eos affirmare solitum ferunt: Lucenses enim sapientia praestare; nec inter se, quemadmodum res posceret, ad ultima venturos: sed consilio et patientia rempublicam servaturos. Sed ut eo unde digressa est redeat oratio, his per senatum decretis, acta ejus diei ad populum, qui adhuc in palatii vestibulo rei exitum morabatur, per Joannem Baptistam Gilifortium majorem scribam e fenestra aulae recitata, tanto gaudio universos affecere, ut alium populum, aliam omnino concionem fuisse diceres. tanta intra paucas horas repente ani-

morum conversio facta erat. quod ubi decemviris patribusque nunciatum, princeps Michaelius in concionem processit, universo populo fausta illi ac senatui acclamante: quaque pollebat sapientia et gravitate dicendi, multa praeclare de pace ac tranquillitate disseruit. „ Quemadmodum sine valetudinis temperamento „ corpora, ita sine ordinum concordia respu„ blicas interire: nec ulla memoria fuisse tam „ validam ac potentem civitatem, cujus opes „ consensu civium firmae ac florentes, dis„ sensione labefactae non conciderint. Aspice„ rent, unde ipsi initium ducerent. romanam „ urbem, cujus respublica ex modicis initiis in „ tantam amplitudinem gloriamque concordia „ crevisset; ut imperio terras, fama aeternita„ tem aequaverit. cum contra dum plebs a pa„ tribus, ipsique inter se patres dissidere inci„ piunt, ex magna illa regum gentiumque do„ mina, omnium barbararum nationum, quas „ illa olim triumphaverat, ludibrium ac praeda „ extiterit ». Ubi dicendi finem fecit, renovata plaudentis populi studia: cumque undique paci ac libertati acclamaretur, plebs laetitiae impetum sequuta, vexillum libertatis poposcit: quod alternatim Vincentius Granuccius et Joannes Maria Boccella per urbem detulere, tota illa multitudine faustis accla-

mationibus prosequente: cum interim e templorum turribus sacrum aes publicam laetitiam augeret: omnibus qui aderant motis ac prae gaudio lacrymantibus: qui tam brevi spatio civitatem e faucibus novissimae cladis ereptam aspicerent. Ita velut bacchabundi tota civitate lustrata, demum sub vesperam vexillum in palatium retulere: mutuaque patrum plebisque gratulatione, ad sua quisque discessit: privatos penates laetitia impleturi, quos paulo ante moestos sollicitosque futuri expectatione reliquerant: pace in perpetuum composita, ut ipsi arbitrabantur.

Utque animorum concordia arctioribus vinculis firmaretur, religione ac pietate; indictum in triduum conviviorum justitium, supplicatumque per totam urbem, majore etiam frequentia, quam anno 1528. factum fuerat: praeter sacram Alborum effigiem, quinque tutelarium divorum corporibus solemni pompa delatis: nempe D. Paulini, Antonini, Reguli, Agnelli, ac Sitae: quod prae caeteris religionem animis incussit; ad eam diem nulla temporis aut mortis injuria victum: caeteris communi fato in ossa et cinerem resolutis. In ea supplicatione, quo pax ordinum in communem libertatem consentientium monstraretur, tres e numero patriciorum, totidemque e

popularibus lecti, qui libertatis vexillum alternis deferrent. priores fuere Hieronymus a Porticu, Martinus Cenamus et Augustinus Balbanus: alteri, Paulinus Boccella, Sebastianus Granuccius et Ansanus Pagninus. Tantam populi frequentiam fuisse constat, ut tota ferme urbe lustrata, ante qui in primis ordinibus steterant in basilicam martinianam regressi intrarent, quam ex ea novissimi egrederentur: primique extremis occurrerent. Eo die, pluribusque inde sequutis, conciones e superiori loco ad populum habitae, ab ejus temporis oratoribus, qui religione ac facundia caeteros anteibant; quibus pacis concordiaeque bona disserebantur. Praecipua fama auditus est Hieronymus Amadaeus civis egregius, eo tempore ordinis Servorum antistes summus, qui humanarum divinarumque rerum cognitione celebris habebatur. Sed vitiorum corruptelis, pravisque de religione opinionibus, quae jam quorumdam animis insederant, nec non audendi per turbas populares licentia, concionantium verba audire magis quam facere libebat. Interea nova lege comitia instabant, quibus habendis novem extra ordinem veteribus adjecti, quorum sex patricii, tres populares fuere. Dies III. ac pridie kal. decembris, ac ipsae kalendae decembris comitiales

fuere: diesque singuli singulis tribubus attributi. In iis decemviri in triennium designati: ex eoque tempore a tribu pauliniana annus coepit, cum ad eam diem Kal. januarii princeps decemvirorum e tribu martiniana magistratum inisset. Inter haec populus quiete agebat: cumque senatus VI. illis, quorum supra meminimus, ejusdem populi ducibus potestatem in junium sequentem prorogasset; ii factionis suae hominibus stipendia extra ordinem constituere, sex aureos in singulos menses, quos e publico caperent. Fuere autem hujusmodi stipendiis aucti Joannes Turrius, quem populari urbanitate *Grandioris Spinae* vocabulo appellabant (1), cujus deinde posteri in senatum adlecti, Simon Brancolus, Michael Angelus Arrighius, Paulinus Granuccius et Regulus Corellius: cum antea Silaum Novocastrensem et Marchioum Clementium majoribus praemiis affecissent. qui omnes deinde compositis rebus exauctorati, ac in exilium pulsi, aut aliis poenis affecti. Verum hujusmodi praemiis apud plerosque qui praeteriti fuerant, invidiam; nec magnam gratiam ab iis quos praetulerant, inivere. nam et paucos e

(1) Spinellone.

multis ornare invidiosum; ipsique quos ornaveris, vitio gentis humanae, merita sua corrupta aestimatione in majus attollentis, non satis liberaliter se pro opinione habitos arbitrantes, plerumque odium pro gratia reddunt. Itaque magna pars offensi ab eorum latere se avellere, ac saniora consilia spectare coeperunt: pacemque gratis quam discordiam malle; cujus incommoda penes cunctos, praemia paucorum essent. Inter haec appetebant Kalendae januariae, cunctaque civitas ea expectatione suspensa erat, qualis designatio novorum comitiorum extitisset. cum de more collegiorum sortitione facta, illud exiit, cujus princeps erat Andreas a Porticu, quem popularis causae plus aequo studiosum fuisse reperio, quamquam vetere ac patricia familia ortum. Collegium ita temperatum fuerat, ut aequa fere portione illud novi homines occuparent. Nam praeter principem, lecti ex nobilitate Balthassar Montecatinus, Alexander Podius, Gerardus Penitesius ac Hieronymus Balbanus: ex popularibus Sebastianus Granuccius, Nicolaus Nicolai et Rodulphus Matrainus: quibus additi Ludovicus Mansius et Andreas Orsuccius: quorum familiae, quamquam alias eo honore perfunctae, tamen ex longo tempore in comitiis praeteritae, pro novis accipiebantur.

Iniere magistratum magna ordinum frequentia, quanta nunquam alias ea occasione visa fuerat: patriciis ex comparatione splendorem suorum agere certantibus; populo fasces ac praetextam, jam non ut aliena, maligne aspiciente: plerisque vana opinione inflatis, quasi perpetuos libertatis suae custodes patribus apposuissent. Sed alia prudentiorum aestimatio erat. quippe paulatim prioris fortunae oblivionem honoribus induci: utque, qui nunc viverent, ordinis sui meminissent, eorum certe posteros pudore originis plebem dissimulaturos: ac ubi purpuram ac fasces, familiares in domo videre coepissent, similes potius iis futuros ad quos transissent, quam quos reliquissent. Principio anni exules restituti, qui in praeteritis turbis tumultuosius egerant; quorum nonnullis id beneficium exitio fuit. quippe dum se novis factionibus immiscent, etiam veterum criminum poenas unica ultione exolvere. Contra alii in exilium pulsi, ut novarum turbarum auctores. quorum unus cui cognomen Barbatia, cum urbe egressurus ad portam venisset, custodibus, qui popularis factionis erant, si manere vellet, eum vel invito senatu retenturos affirmantibus, veluti praesaga futurorum mente, parere velle respondit: caeterum se portis egredi, ipsos vero e muris se praecipi-

taturos, aut laqueo vitam finituros quam vocem ut vani hominis tunc irrisam, veluti oraculo editam sortem, rerum fides implevit. Quidam vero ut quietis publicae perturbatores, cum in eo consilio, quod ad veteris ostracismi morem a graecis civitatibus usurpatum, interdum haberi solet, tabellis nominati fuissent; numerum suffragiorum non tulere. Inter quos Martinus Bernardinius fuisse traditur, vetere ac illustri familia, vir ingentis animi ac consilii, sed factiosus et audax, rerumque novarum cupidus. qui quamquam saepius ea ignominia notatus, et ob id quater in comitiis praeteritus; cumque primo ejus ratio habita est, inter suffectos designatus; tamen tantam deinde auctoritatem apud senatum habuit, ut princeps decemvirorum XXIV. post anno reipublicae statum mutaverit, Martiniana lege lata, quam suo tempore memorabimus. Interea inito per novos decemviros magistratu, quorum princeps fuit Joannes Baptista de Nobilibus, appetebant Idus martiae, qui solemnis est ineundi novi senatus dies: quare tunc primum nova lege creati CXX. senatores, inter quos L. aut etiam plures e popularibus fuere: maximae partis quorum deinde posteri, splendido vitae fortunaeque cultu ac ingenuis artibus locum in republica

tenuere : a vetere nobilitate nullo nec jure nec honore discreti: eaeque familiae apud caeteras quoque gentes, sicubi patriciatus ad aliquem honoris gradum, aut equestrem ordinem requiritur, pro nobilibus ac patriciis habentur. vetere ac superba nobilitate tacite magis indignante, consensuque reipublicae possessionem retinente, quam aliquid palam ausa: novis hominibus modesto ambitu per occasiones crescere contentis: gaudentibusque ad honores scandere, magis quam attolli.

Is erat reipublicae status, ut a proximo admodum diversus, tamen ut in quo, velut ex magna tempestate, non omnino motus omnis conquiesset. Quare ut alta ac solida pax demum firmaretur, cum jam sanctiores anni dies recordatione Dominicae mortis instarent, princeps in senatu verba fecit de ponendis sincera voluntate discordiis, animisque inter se conciliandis, ejus exemplo qui mortalibus pacem suo sanguine sanxisset: qua oratione animis omnium religione motis, ordinum concordia iterum firmata; omniumque praeteritorum ad eam diem venia S. C. facta. Verum ne nimia ignoscendi facilitate aleretur peccandi licentia, placuit eo S. C. denunciare, eam novissimam fore clementiae spem: ne infinitae discordiae rempublicam lacerarent, dum sem-

per ignoscitur et semper delinquitur. Supplicatio quoque in funestum Servatoris morte diem, ad implorandam caelestium pacem indicta: in qua iterum Alborum simulachrum, ac divorum corpora per urbem circumlata: cui plerique interfuere pedibus intectis: quibusdam etiam semet flagellis verberantibus, ut intuentibus lacrymas excirent. tantusque extitit animorum motus, tantaque religio cunctorum pectora incessit, ut extinctas plane discordias, plerique ominarentur. Utque major esset positarum irarum fides, populus extraordinarios milites a portarum custodia amoveri passus est. clavemque aerarii, vi paulo ante extortam, sponte remisit. quod in exortis paulo inde procellis saluti fuit. Caeterum ex natura vulgi, vix detersis lacrymis seditionis auctores ad ingenium rediere. quod cum bonis maxime displiceret, qui nullum discordiarum finem cernerent nisi acribus remediis insisteretur; expertae fidei virtutisque milites in urbem ex oppidis clam accitos, jussosque diversis itineribus incedere, ne suspicionem moverent, per civium domos occulte disponunt: ac ad imperium decemvirorum paratos intentosque esse jubent. Susceptum bene consilium, ut ferme fit, paucorum temeritas corrupit. quippe dum Scarpellus alterque milita-

rium ducum ex Orsuccia gente, cui municipalibus facetiis a grandioribus calceis nomen erat (1): Paulusque Antognolius, quem ab implicandis tricis appellabant (2); nonnullique alii e Campomajore, populo pridem invisi, sub vesperam pridie ejus diei qui libertatis receptae memoria celebris habetur, in publicum se dedissent: militari vanitate se se cum sagis purpureis, villosisque petasis, ut eorum temporum habitus erat, ostentandi; vulgi oculos animosque eo aspectu vulneratos, magnis suspicionibus implevere. famaque per urbem strenue vulgata, jam pene obducta odiorum cicatrix, rescissa iterum recruduit. Itaque insequenti mane, cum senatum cum decemviris caeterisque magistratibus celebri pompa supplicare mos esset, plerique armis sub veste occultatis processere: caeterarum rerum, praeter quam propulsandae vis, si quae illata foret, incuriosi. Peractis sacris, concio ad populum habita ab uno ex majoribus basilicae D. Michaelis sacerdotibus, clari tunc nominis oratore: in qua pacis libertatisque bona exposuit: magno cum assensu hominum, ut tum erant, excepta: nunc in hac ingeniorum lite-

(1) Scarpone.
(2) L' Imbroglia.

rarumque gloria si referatur, nequaquam parem gratiam habitura. Ea peracta, cum moveri supplicatio coepisset, juvenis quidam e populo, conspecto Antognolio pro gradibus basilicae martinianae, truci vultu ad socios conversus, en, inquit, e sacrilegis illis unum, qui in nos arma tulere: strictoque ac nudato pugione, in illum ferri impetu coepit. Ex ea re tumultus subito exortus, eductique passim gladii micare coeperunt. Itaque undique tela fulgebant: perlatoque intra basilicam tumultuantium clamore, terror ingens omnium animos incessit. quare furentibus similes hac illac discurrunt: alii strictis gladiis, ac suppetias suis laturi: alii fuga dilabentes, ne templi parietibus, velut carcere inclusi, irati populi victimae caderent. Quare tota aedes trepidantium vocibus ac tumultu, aliorum per confertam multitudinem intrantium, aliorum vero exire festinantium strepebat. sed praecipua feminarum consternatio extitit, quae velut in ultima calamitate sublatis in caelum vocibus, plangore ac lamentis totam basilicam implendo, terrorem augebant. In ea turba plerique nobilium fuga dilapsi: decemvirique, omissa publica celebritate, paucis qui fideliores fortioresque fuerant, comitati in palatium rediere. feminae nobiles in proximas patriciorum aedes

confugere: donec suas quisque fida custodia domum reduceret. quodque ejus diei reliquum fuit, tota civitas in armis perseveravit: cunctis rei novitate ac pavore defixis. cumque se tam repente in veteres turbas, paucorum temeritate, e sinu pacis revolutos cernerent, caelestium irarum ultionem, aversaque Lucensium rebus numina, cladem que urbis haud falso ominabantur. Dum haec ad D. Martini basilicam fiunt, globus popularium cum armis per urbem discurrens, in Francorum aedes irrupit, ubi nobiles juvenes, ejus diei laetitiam per convivia celebrabant. Subito eorum adventu convivae territi, fuga sibi consuluere: illique alienis dapibus onerati, paulo post disjectis eversisque mensis, ac sublato argento abiere. quod initium fuerat populandi diripiendique potentiorum domos, nisi melior fortuna hanc mentem ab aliis avertisset. Igitur id facinus eodem loci simul exortum ac extinctum est. Sed praecipua populi in Bonvisios ira, ob excita in exitium plebis arma. itaque cum forte manus popularium in Ludovicum incidissent, minaci clamore sublato, eum impetu persequi coepere. quem per aversam aedium partem hortosque ingressum fuga texit. Ea re intellecta, statim clientium affiniumque turba ad Bonvisios confluente, momento aedes ar-

matis stipatae fuere: tum obseratae firmataeque adversus impetum irrumpentium fores, omniaque ad sustinendam oppugnationem parata. Inde major populi furor. itaque ut justiorem saeviendi causam praetexerent; falso vulgavere Martinum Bonvisium res novas moliri, patriaeque dominatum arripere, ac libertatem opprimere velle. eo consilio plenam clientium, plenam armatorum domum habere. quod eadem temeritate creditum, seu quod ita expediret, credi simulatum, tantam repente rabiem concivit, ut undique cum facibus, tormentisque ad incendendas oppugnandasque aedes concurreretur. Eoque die juxta novissimum discrimen clarissima gens fuerat, nisi majores quidam e populo qui ei studebant, urenti multitudini quiescendi auctores fuissent. neque sic tamen prohiberi potuit quin ab iratis multa e minoribus tormentis in aedes excuterentur: minacesque ac saevae voces velut in hostes patriae jactarentur. Valuere etiam placandis animis exturbati ex aedibus praecipui satellitum Tottus, Puccius, ac Benedinus: qui mox in populi gratiam a senatu in exilium pulsi. Nec minus ipsi Bonvisii, seu territi, seu ad augendam invidiam timore simulato, sub noctem urbe egressi, in suburbanum suum secessere: quod ultra flumen

Aesarem duorum ferme stadiorum spatio abest. quod, plebis in eam familiam studio, indignum plerisque maxime visum: unde inter ipsos populares dissidium exortum, dum alii in alios culpam conferentes, invidiam facti a se amoliuntur. Nec furor eo die intra plebem stetit. quippe offensa nobilitas, quae hactenus ex insidiis populo ad seditionem spiritus dederat, per eam occasionem persona deposita, aperte favere coepit. Nam Bernardus ac Vincentius Podii ex una parte, ex altera Joannes Baptista Cattanus ex ea stirpe ultimus, cum armatorum manipulis se se populo ostentavere, quorum postremus vix dum pueritiam egressus, eximio formae ac aetatis flore, ab oppugnatione patriae infelicem juventam auspicatus, nobilem ac veterem familiam secum in exitium traxit.

Renovata igitur seditione, ac ex aperto nobilitatis favore etiam aucta, patres major curarum moles urgebat: cum praecipue quotidie coetus seditiosorum in Marsillae domo fieri intelligerentur: qui hispano fastu caesaris nomine adversus rempublicam abutebatur. Quare habito senatu, variisque consiliis tum publice tum privatim versatis, tandem optimarum rationum parens Deus, hanc mentem decemviris injecit, ut, quod nunquam antea in despera-

tis rebus factum fuerat, totius civitatis concilium indicerent; in quod, nullo discrimine, singuli ex universis familiis, ac praeterea sacerdotum ordo vocarentur: ut cujus sententiae major pars colloquendo auctor fuisset, eam patres lege sancirent: ut tandem finitis discordiis, tam diuturno malo laboranti civitati succurreretur. Convenere V. Id. aprilis ad MD. homines, ea aetate ac usu rerum, cum plerique patres familias essent, ut expedire sententiam ac reipublicae vulneribus mederi possent. quos ubi frequentes adesse renunciatum est, decemviri ad eos processere, conscensoque de more tribunali, facto silentio, princeps Joannes Baptista de Nobilibus in hanc sententiam loquutus dicitur. » Mirabitur forsasse aliquis vestrum, optimi cives, cur, de collegii sententia, tantam hanc multitudinem, quantam, post rempublicam natam, convenisse nunquam constat, in hanc publici consilii sedem exciverim. Sed ea mala civitatem premunt, ut mirum videri non possit, si lassa jam ac deficiente arte, ad nova remedia ac inexperta concursum sit: et tranquillo quidem mari aut modicis procellis, consuetae nautarum artes viresque sufficiunt: verum saeviente pelago ac furentibus ventis, dum fractis remis, discisso

» velo in certum naufragium navis fertur, ut
» in extremo articulo, vectorum quoque ma-
» nus implorantur: ipsumque discrimen ac re-
» tinendae vitae amor, etiam ignaris ars est.
» Equidem nos senatumque ad gubernaculum
» sui respublica collocaverat. sed jam consum-
» pta omni arte fluctibus vincimur, vestrasque
» manus, vestra consilia in ultima despera-
» tione respicimus. Jam vertens annus fere or-
» be expleto ad caput redit, ex quo reipu-
» blicae status convellitur. et, si verum fateri
» volumus, hactenus nimia patientia peccavi-
» mus: nec morbis magis quam remediis labo-
» ramus. Abrogari legem populus flagitavit;
» obtemperatum est. laxari senatum magistra-
» tusque; patuit novis hominibus curia. eo
» extorquente, cives nobiles et innoxii in exi-
» lium pulsi: seditiosi et turbidi stipendiis ac
» praemiis aucti. Moenia portasque, ac pene
» quem vitalem spiritum ducimus, sub custo-
» dia sua esse voluit; remisimus. ad extremum
» omnia perpessi sumus, quae vix durata ser-
» vitiorum patientia, ab impotentibus domi-
» nis tolerare possit. tantasque injurias,
» quas ferro ac suppliciis persequi aequum
» fuerat, clementia ulti sumus. Verum teme-
» ritas eo jam excrevit, ut nullis limitibus
» finibusque contenta, eum furoris sui modum

» habeat, quem ipsa statuerit. quandiu spes
» sanitatis fuit, lenia fomenta adhibuimus.
» Sed jam putre ac desperatum ulcus, fer-
» rum ignemque postulat. quae toleranda fue-
» runt, patientia transmisimus: sed, nunquid
» pati possumus, diripi domos, oppugnari ae-
» des, publicas caeremonias violari, templorum
» religionem pollui, libertatem ab hostibus re-
» ceptam civium tyrannide opprimi? num ha-
» ctenus dissimulabimus, donec urbem dirui, in-
» flammari curiam, trucidari optimates, omnia
» caedibus ac rapinis misceri; donec in busto
» ac vestigiis reipublicae perditos triumphare
» videamus? Ad extrema ventum est, optimi
» cives. Rempublicam ruere omnes intelligunt:
» vobis etiam servare concessum est. In hanc
» spem vos huc excivimus. vestri arbitrii est,
» utrum huc spectatum reipublicae exequias,
» an e faucibus novissimi fati eam ereptam
» convenisse videri malitis. Florem hic et men-
» tem totius civitatis, omnium ordinum lumi-
» na aspicio. placuit etiam e templis adytis-
» que sacerdotes evocare: destinatosque sa-
» cris homines ab aris ac altaribus in curiam
» trahere. neque id sacris fraudi fore puta-
» vimus: optimus siquidem numinis cultus est,
» rempublicam servare. et illud forsitan no-
» stris sceleribus iratum, salubria consilia no-

» bis subtraxerit: quorumque manibus quo-
» tidie placari se sinit, mentibus etiam viam
» salutis monstrabit. Vos interea fortiter et
» constanter de summa reipublicae sententiam
» dicite: ego et collegae mei clarissimi ae-
» que ac optimi viri et reipublicae amantes,
» quicquid jusseritis, eadem animi constan-
» tia, ad extremum, si opus erit, spiritum,
» in rem perducturos pollicemur ». Hac oratione erecti bonorum animi: eorum qui e popularibus seditiosisque aderant, concidere. Ubi rogari sententiae coeptae, Bonaventura Michaelius illustri loco natus, ac prudentiae virtutisque laude gestis honoribus pari, cunctantibus caeteris suggestum conscendit: gravique facundia deplorato breviter reipublicae statu, eo tandem recidit, ut acribus remediis opus esse affirmaret. » Sed imperium sine viribus
» debile ac precarium: legesque inermes irri-
» sui potius esse, quam timori. inania consilia,
» ubi cogere non possis. vilemque reipublicae
» majestatem sine armorum praesidio ». Intelligebatur quo hujusmodi verborum ambages spectarent: nempe recurrendum ad omissum ante consilium conscribendi milites, qui palatio praesiderent: sed nemo rem populo invisam damnatamque evolvere ac in medium proferre audebat: cunctis invidiam in semet avertere recu-

santibus, quam ipse consilii auctor caute declinasset. Itaque caeteris per metum torpentibus, Sebastianus Menochius majorum sacerdotum martinianae basilicae tertius, vir gravitate morum, prudentiaque ac facundia pollens, universi ordinis nomine in hunc modum loquutus est. » Rem, fortasse ab ordine nostro alienam
» facere videar, si qui ad mansuetudinem et
» clementiam instituti sumus, nunc de vi et
» ferro verba fecerim: sed qui temporibus rei-
» publicae animum serio adjecerit, fateri coge-
» tur, in hoc rerum statu nihil fieri crudelius
» posse quam esse clementem. Et ego quidem
» ita me sacerdotem esse memini, ut etiam ci-
» vem meminerim. imo vere sacerdotem, quia
» civem. uno nexu sanctissima haec nomina
» copulantur, patria et religio. cum pacatae
» res sunt, precibus sacrisque pro republica
» pugnamus. si turbentur, ubi necessitas exi-
» gat, ferro et armis accincti in aciem prodi-
» mus: manusque hostium sanguine consecratas
» ad aras reportamus. Sed nequaquam ordinis
» mei oblitus sum: quidque inter sacra et alta-
» ria educatum hominem deceat, minime igno-
» ro. una tantum aestimatione diversi sumus,
» quod nonnulli ea quae dicturus sum, saevi
» ac crudelis animi indicia, ego clementis ac
» misericordis interpretor. alioquin et crude-

» les medicos appellemus, qui putre vulnus » ferro ac igne secant, ne universum corpus » corruptae partis contagio trahatur. Miseret » me reipublicae, ex tanto tempore laborantis » ac in exitium ruentis: miseret patriae, quam » improborum hominum malignitate, ex beata » ac florente, perditam et afflictam intueor: » miseret bonorum omnium, quos cum florere » ac dominari aequum sit, in magno metu ac » discrimine esse conspicio. contra autem vo- » litare seditiosos, regnare improbos, rerum » arbitria penes eos esse, cum quibus praecla- » re actum fuerit si eos vivere patiamur. Tam » ego sine sensu, ut eorum reputatione non » movear, quae hujus vertentis anni cursu, » miseram civitatem laceravere? quoties tur- » bulentorum hominum caetus acti, quo- » ties ad arma concursum, quoties ferro » flammisque oppugnatae domus, et quod sine » horrore loqui non possum, quoties in hoc » ipsum publicae majestatis templum impetus » factus? Tam ego crudelis, ut non tangar mi- » sericordia, alios civium ferro trucidatos, alios » in exilium pulsos, senatui vim allatam, obses- » sam curiam, et quod nuper vidimus, reli- » gionem violatam, pollutas ceremonias, sup- » plicationem in aciem conversam; placandis- » que caelestibus destinata carmina, in sae-

» vientium jurgia ac feminarum ejulatus com-
» mutata ? si dixero qui haec patrare ausi
» sunt, ferro ac suppliciis coercendos, propte-
» rea sacerdotii desertor, ordinis ejurator
» appeller? Ego vero nullam Deo victimam
» gratiorem sceleratorum poena arbitror, nec
» ullo magis quam impiorum sanguine superos
» laetari, vel meo periculo fidem obstringam.
» Proinde exerat jam oppressum caput res-
» publica: erumpat aliquando vera vox, et quod
» alii per ambages et ancipitia verba, nuda sen-
» tentia sacerdotali ore promatur. Abiit jam
» ignoscendi tempus. satis diu clementia pec-
» catum est. armati milites, quo numero opus
» videbitur, conscribendi, qui palatium ser-
» vent, qui vim vi obsistendo repellant. hoc
» rerum status, hoc bonorum consensus, hoc
» reipublicae sanctissima vox meo ore prolata
» requirit. concident improbis animi, et jam
» aliquando contemnere rempublicam desinent
» ubi armatam aspexerint ». His adjungit uni-
versum sacrorum hominum ordinem pro pa-
tria stare: quodque in praesens licuerit, XX.
millium aureorum summam in subsidium of-
ferre. paratum non minus pro salute publica
cum vittis ac infulis ad aras supplicare, quam,
si res poscat, in acie armatum spiritum ac
sanguinem fundere.

Magno cum assensu bonorum auditus est Menochius: ejusque fiducia, caeteris crevit audacia: pluresque in eamdem sententiam verba fecere. Nec tamen deerant qui conscientia territi, hac illac circumcursarent, ut a salubri consilio, inclinatos jam civium animos averterent: confusaeque voces exaudiebantur, delectum militum improbantium, novamque praeteritorum veniam flagitantium. Sed jam, non modo e nobilitate, sed plerique etiam e populo mentes obstinaverant,. insolentiam eorum pertaesi, qui privatis rationibus quieti publicae obsistebant. Quare cum Alexius Podius in medium processisset in favorem plebis verba facturus, obstrepentium clamore dicere prohibitus est: addita minaci denunciatione si ultra perseveraret, raptum sublimem in viam publicam dejecturos. Nec minimum momentum inclinandis animis habuit quidam e plebe, ad eam diem non satis notus; (Luisium Brunellum fuisse traditur) qui magnis nominibus se se inserens, quasi divino instinctu affatus, conscenso suggestu, ac attonito similis ter exclamavit, ut jam tandem dormientes expergiscerentur. nec aliud loquutus, cum omnium admiratione recessit. Hanc vocem, ut anceps erat, boni tamquam sibi e caelo missam, ut ad rempublicam tuendam excitarentur, ex-

cepere. nec eo secius animos seditiosorum affecit, quasi instante jam poena, ut somnum discuterent, admonerentur. Itaque murmure circumstantium exorto, Caesar de Nobilibus, bene monere, quicumque ille esset affirmat: » proinde altum soporem quo ad eam diem » indormierant discutiendum, atque ad salu» tem patriae tandem expergiscendum ». mox excusatis quae hactenus in favorem populi fecerat, donec aequa et justa postulare visus fuerat, truci ac aspera oratione in reipublicae perturbatores invectus est: abscissaque sententia, ubi ad finem dicendi pervenit, exclamans: » haud amplius, inquit, clementiae » locus est. Veniae tempus effugit. nec ultra » verbis, sed factis agendum. proinde qui mi» lites decernunt, sublata manu mentem suam » testentur ». quod cum a majori parte factum esset, statim, ut auctoritas concilii lege sanciretur, cogendo senatui signum e fenestris tuba, e turri aere datum est. quo tempore tantus seditiosorum animos terror incessit, ut jam deplorata rerum suarum spe, fugam plerique meditarentur. Et quamquam caute provisum fuerat, ne ea deliberatio manaret in vulgus, tamen quorundam popularium opera, qui e palatii fenestris se demisere, statim rescitum quid in eo consilio

factum esset. quare nonnulli e populi principibus una cum Marsilla in palatium perrexere, ut aliquam moram necterent, procellamque jam capitibus suis impendentem terendo tempus averterent. Sed jam senatus frequens in curiam convenerat, plenaeque aulae ac porticus bonis civibus erant. quare Hispanus perspecto non esse artibus locum, nemine appellato domum concessit. Interim fama ejus rei latius vulgata, ab omni parte ad arma discursum, ut delectus impediretur. et quidam seditiosorum turrim templi D. Romani palatio proximam, alii vicinas aedes, quidam vestibulum occupavere: palatiumque, velut corona cinctum, undique oppugnabantur: ac si quis eorum qui inclusi intus erant, e fenestris prospicere tentasset, statim excussis tormentis minoribus dejiciebantur. Tum ad itinerum aditus armati stabant, auxilium ferentes prohibituri: ac tota circa regio, clamoribus delectum militum incusantium perstrepebat. Nec segnius qui in palatio erant, senatus aliique magno numero, qui soluto concilio perseveraverant, quamquam ingenti malo perculsi, defensionem parabant. et quia in vestibulo, dum in concilium irent, deponere arma jussi fuerant, paucique occultata sub vestibus retinebant, raptis ex armamentario telis, in morem justi praelii se se armavere.

aliique lanceas ferreasque arundines, alii pila aut ferratas clavas, loricis galeisque tecti in pugnam praeferebant. Interea nonnulli seditiosorum in publicas aedes penetraverant: quorum unus scelere atque audacia caeteris eminens Albertus novocastrensis, non Simon Brancolus, ut quidam falso memoriae prodidit, immane facinus, una ruina palatium involvendi, concepit. Is armamentarium ingressus, accensum funem in dolium sulphurato pulvere stipatum, compluribusque circa mercis ejusdem dispositis, ita demisit, ut paulo post, ubi ipse periculo se exemisset, una cum caeteris circa conflagraret. Sed irritus tanti sceleris conatus crudelem animum fefellit. nam cum id solum concepto igne, magno strepitu dehiscens, intactis caeteris arsisset; (quod pro miraculo fuit) XX. circiter circumstantium flamma ac vapore citra mortem afflatis innoxie solutum est. ingentem profecto stragem editurum, palatio tunc universae civitatis flore referto, si sparso latius incendio, caetera dolia ignis corripuisset. Neque hoc solum, ut in ultima desperatione, tentatum. quippe alii quoque ad praecipitia et abrupta consilia versi, invadenda publica horrea, alii Florentia evocandos e familia Podia hostes judicatos, ut veterem irarum ultionem per occasionem populi tuendi exsequerentur.

Sed Matthaei Vannellii auctoritate, qui cuncta apud plebem poterat, insana consilia discussa. quod tamen nihil illi ad supplicium effugiendum profuit, majore caeterorum invidia hujus bene facti gratiam premente.

Interea senatus, proviso ne subita vi opprimi posset, constanter magni concilii auctoritatem firmabat. Itaque S. C. sancitum, ut exterorum peditum cohors ad palatii custodiam quam primum conscriberetur. Interim decemviri CC. ex oppidanorum militia accirent quos fidissimos judicassent. Praetori vero mandatum, ut caeterorum cognitione omissa, severe inquireret in auctores proximi tumultus in martiniana basilica excitati: in eos qui Francorum domum compilassent, Bonvisiorum oppugnassent: ac denique in eos, qui seditiosos coetus in Marsillae domo habuissent, quique eo die arma ad palatii oppugnationem tulissent. His actis dimisso senatu, cum inter caetera quidam auctores fuissent, signum vocandi ad arma civitatem e turri decemvirali dandum, Martinus Chiaritus ad praefectum missus est, ut ei senatus imperium denunciaret. Verum eo jam corrupto ac tergiversante, Simon Fianus et Franciscus Turrettinus supervenere, qui minis terroribusque invitum adigerent. Itaque horrendum e turri signum concrepuit.

quod ubi per urbem adjectosque urbi pagos exceptum, ex omnibus templorum turribus aera, uno tempore, moesto pulsu quati coepere. tantusque repente omnium animos terror occupavit; ut attoniti ac furentibus similes, per itinera urbis ad arma undique conclamarent. Quo fragore, ac insuper funesto sacrarum turrium sono tam miserabilis urbis facies occurrebat, ut praeter paucos sceleratos ac publicis malis gaudentes, nemo sine lacrymis consistere posset. isque sonus, non aliter quam laborantis reipublicae ac in extremo discrimine fidem civium suorum implorantis vox a bonis accipiebatur. Praecipue autem puerorum ac feminarum ejulatus miserabilis erat, patres, maritos complorantium, ruentesque in arma ac caedes, amplexu ac lacrymis retinentium: donec ab iratis infensisque, aliis libertati succurrere, aliis civilem sanguinem haurire properantibus obturbarentur. Intendebat terrorem in palatio pugnantium fragor: quippe senatores aliique, qui e concilio ibi substiterant, ad suas quisque domos festinantes, ut mox cum vexillis regionum, suisque agminibus adessent, a popularibus qui vestibulum occupabant repulsi: dum ferro iter moliuntur, atrox pugna coorta, multique utrinque vulnerati. cum qui interea procul starent, cre-

bris tormentorum ictibus, quae ad multa millia, intra horae spatium quo ea pugna duravit, excussa fuere, non aliam quam captae ac ruentis urbis speciem animo hauriebant. Nec tamen pro tumultu caedes fuit: bonis maxime civium sanguini parcentibus: malentibusque ut sontes quaestionibus ac suppliciis potius quam vi ac ferro perirent. Ea pugna tandem dirempta per popularis factionis duces: veritos ne concurrentium in palatii subsidium majore numero opprimerentur. praecipue cum jam magna pars populi immutata voluntate, sensim a coetu seditiosorum dilaberetur. quippe quae ira vel dolore fiunt, acres primos impetus habent; ratio mora valescit. nam illis vis, huic natura subest, quae aeterna est, semperque recurrit animo, sui perpetuo assertrix et vindex. Sed licet metus ingens, seu verius desperatio animos incesserat; tamen ne omnino improvidi exciperentur: divisis copiis, partem ad occupandas urbis portas, ne in urbem ex agro milites induci possent destinant: partem ad forum ac viarum aditus custodiendos: ac denique CCC. juvenum manum ad vestibulum portasque palatii obtinendas submisere. simulque in Marsillae domo, varia consilia, pro re praesenti, a primoribus plebis agitabantur. Nec minore studio sana pars populi in favorem no-

bilitatis undique copias colligebat. magnoque jam numero in singulis vicis armatorum manipuli imperium decemvirorum expectabant. Sed praecipua erga patriam ac libertatem coriariorum fides extitit; qui ingenti sui corporis hominum manu collecta, (florente tum liniendarum auro pellium arte, quam a Lucensibus in alias gentes profectam, ingenium nostri luxus pridem obruit) primo in palatium procurrendi impetum coeperant. sed veriti, ne id consilium injussu dominorum susceptum satis probaretur; intenti paratique quocumque vocarentur, in suis vicis restiterant: auspicio ductuque Mencii Dini, quem magnae spei juvenem, bellique artium gnarum, paulo ante e militia in urbem reversum, caeteri suspiciebant. Interea qui e nobilitate in agris erant, fama eorum quae in urbe agebantur, simulque decemvirorum literis exciti, undique copias adducere, ac periclitanti reipublicae succurrere maturabant. Jamque sub signis per suos ordines ingens militum numerus processerat; plerique cum justis armis, caeteri prout quemque in re trepida, festinatio aut necessitas armaverat. Inter eos qui auxilia contrahebant, Vincentius Saminiatius ejus orae praefectus, Mozano CCCC. submiserat: quibus Bernardinum Pieronum veterem militem praefecerat. Silvester quoque Trenta,

Franciscus Guinisius ac Vincentius Spada, e pagis Ponti ad Sextum adjectis validam manum armaverant. pari studio Leonardus Pagninus suburbanam militiam exciverat: lectique e Campomajore milites sua sponte plebi irati. Pandulpho Cenamo incitante festinabant. Sed Bonvisii fratres Martinus ac Ludovicus, egregio in rempublicam studio cunctos vicere. ad quos, in suburbana villa, ut dictum est, agentes; qui e populo nobilitati studebant, multique nobilium, undique partim eorum accitu, partim sua sponte confluebant. Quare apud eos jam erant Franchi, Ciampantes, Burlamacchi, Bernardi, Fatinelli, a Porticu, aliique nobiles juvenes pari animi ac corporis robore: cum Carolis, Sinibaldis, Chiaritis, Scannabecchis, caeterisque qui optimatium partes tuebantur. quorum longe princeps habebatur Vincentius Puccius, quem caeteri tamquam rei militaris egregium, manuque ac consilio strenuum audiebant. Aderant et spectatae virtutis duces Antognolius Orsucciique, quos supra publicum amorem propriae etiam irae in populum stimulabant. Jam armatis undique adventantibus, aliquot hominum millia ad Bonvisios confluxerant. verum nisi ex condicto illorum qui in urbe erant res gereretur, periculum adibatur, ne accitae in salutem patriae liber-

tatisque copiae, in perniciem verterent. Sed in eo difficultas erat, qua ratione, obsidente portas plebe, aut imperium decemvirorum expectari; aut si literae nunciique custodes fefellissent, tot armati in urbem occulte immitti possent: paratis seditiosis, ad primam ejus rei suspicionem, omnia ferro flammisque abolere in eorum oculis, antequam succurri posset. Aut, quod aeque timendum erat, certe non sine multa caede conserendae manus forent: cum in extremam aleam utrinque iretur: novissimaque spe, hi pro patria ac libertate, illi pro vita ac impunitate pugnarent.

Nec minus ancipites animo decemviri inter varias cogitationes fluctuabant: cum tandem optimum consilium expediunt; portam scilicet D. Donati, quae meridiem, ac mare prospectat, populi praesidio non satis firmatam, coriariorum ope obtineri posse: eaque armatis aditum in urbem patere. Haec animo agitantibus, forte incurrit Sebastianus Collius, basilicae martinianae aedituus, qui deinde unum ex majoribus sacerdotiis obtinuit, fama probitatis sanctisque moribus spectabilis: qui sociis recedentibus, casu an consilio, in palatio substiterat. Itaque eo ad se vocato: » Sebastiane, » inquiunt, patria, imo respublica universa, » tot malis quassata in sinum tuum confugit.

» in te situm est, an trucidari ad unum omnes » boni; an sanctissima haec communis omnium » parens excindi ac everti, an vero servari » ac vivere debeat. » Ille, ut par erat, tam gravi denunciatione commotus; cum principes viros patresque reipublicae lacrymantes conspiceret; et ipse obortis lacrymis: » se vero vel sanguinem ac vitam pro patria profundere, paratum respondet: magnique beneficii loco habiturum, si in ea re fidem suam experiri voluissent». Ubi alacrem animo vident: » macte inquiunt, virtute esto: claves hae maritimae » portae sunt: eas ad Nicolaum Anchianium, » aut Thadaeum Pippium, unum ex vexilliferis regionum, aut alium quemvis coriariorum » ducem per te deferri volumus, ita ut populum lateat, simul cum mandatis, quae in hoc » tempus opportuna dare visum fuerit. hoc » respublica universa exposcit. in te spes ac » fortunas suas collocat. quod pulcherrima » haec libertatis sedes, quod etruscarum urbium decus stabit, uni tibi universa posteritas acceptum feret. Itaque, quod felix faustumque reipublicae sit, perge bonis ominibus, hoc est illis, quae justitiae, tranquillitati, libertati, adversus vim, seditionem, tyrannidem semper faverunt favebuntque, donec aeterna illa providentia, rerum huma-

» narum tenebit arbitrium. » Tum adjiciunt mandata de militibus, qui apud Bonvisios erant introducendis, eo tempore ac ratione quam ipsis consilium ac reipublicae fortuna suasisset. Accidentem sibi ad genua complexu allevant; oneratumque bona spe, ac insignis facti conscientia famaque a se dimittunt. Ille clavibus sub veste occultatis e palatio discedit: orisque fiducia nullum magnae rei indicium praeferens, per medios armatos, qui vestibulum obsidebant, religione tutus incessit. cumque per viam in globos popularium non semel obvius incidisset, suspicione intactos, eorum poenas ultionemque accinctas lateri ferens, pari felicitate praeteriit. profecto illorum manibus discerpendus: si quid ad eos suscepti consilii manare potuisset. Vicum quo pergebat ingressus, recta Anchiani domum venit. qeem extra civitatem esse cum renunciaretur; primo perturbatus paulisper substitit, quasi improspero initio. mox collecto spiritu, Andreae Decimo clam ab aliis sevocato, tamquam fido ac nobilitatis amico, ingens arcanum aperit. uno aut altero ex fidissimis, quibusque secreti patientia major, in ejusdem rei conscientiam assumptis. dum inter se communicato consilio, rationem rei gerendae exquirunt; opportune Thadaeus Pippius supervenit, agmine

suorum stipatus: nec multo inde Meucius Dinius et ipse cum valida armatorum manu: quibus Collius palatii arcana exponit : prae gaudio lacrymantibus, quod pulcherrimum servandae reipublicae facinus, principes eorum fidei ac virtuti commisissent. Ibi mutuo complexu accepta dataque fide, pro patria ac libertate se morituros. ita inter eos convenit, ut Thadaeus cum vexillo suisque copiis, ad dejiciendum praesidium, occulte per moenia ad portam pervaderet; Meucius ex diverso via publica mox superveniret; aditumque occuparet, ne submitti popularibus auxilia possent, quorum aspectu, qui portae vallum obsidebant territi ac multitudini impares, fugam arripiunt. Sed omnium primum Bonvisiis significari curant, si se jam intendentibus tenebris, maritimae portae cum copiis admovissent, eam patefactum iri. Martinus eo nuncio laetus, rem amicis aperit: mox advocata concione, cunctos insperato gaudio perfusos, brevi sed acri facundia, venisse diem, admonet, » quo patriae salutem libertatemque, de- » pulso pessimorum dominatu restituant. proin- » de animos atque arma capesserent; bonam- » que fortunam sperarent, non semper, ut » vulgus putat, virtuti inimicam. si incolumes » ipsi patriam servassent, feliciores; si mortem

» oppeterent, ad famam posteritatis clariores
» futuros. nec vitam ac spiritum naturae de-
» bitum, honestiore causa anteverti. Interea
» corpora curarent, ac sub noctem profectio-
» ni parati essent. Uno flumine patriam ac ipsos
» sejungi; quod si transissent, in altera ripa
» gloriam, victoriamque ipsos expectare. ut
» manibus suis eos in urbem, ac in palatium
» inducerent ». Ea adhortatione alacres dimittit: versis curis in ea quae praesens tempus posceret.

Jamque nox appetebat; malorumque quibus urbs premebatur tenebrae et caligo terrorem duplicaverant. Tum per noctem moestus turrium concentus, solito miserabilior videbatur: totaque urbs luminibus ac facibus collucens, in expectatione novissimae cladis erat: ac alibi tumultuantium voces, alibi silentium ipsum terrebat. Primis tenebris, Martinus, Ludovico fratre ad custodiam villae cum modico praesidio relicto, ipse cum caetera multitudine ad urbem iter instituit. vitatoque ponte ac militari via, ne in subeuntes tormenta a populo excuterentur, in cujus potestate ea pars murorum erat; ad dexteram incedens, ad fluminis ripam pervenit. Ibi cum scapham abscisso fune, remisque exarmatam reperisset, cum plerisque nobilibus conscendit: hastis militaribus

contorum vice eam subigentibus. caeteri reperto vado in ulteriorem ripam tranavere: unde silentes et taciti, nullis etiam praelucentibus facibus, ne adventus eorum sentiri ab hostibus posset, prima vigilia moenia ac portam maritimam subiere. Ibi signo amicis dato, Pippius manu clavem tenens, respectansque palatium et urbem, « tibi, inquit, sanctissi-
„ ma patria, quod felix faustumque sit, ad
„ salutem ac libertatem; mihi posterisque meis
„ ad famam gloriamque fores aperio ». simulque pandere portam instituit, donec dimotis seris vectibusque, verso cardine tota patuit. Ibi cunctis se mutuo complexu salutantibus, ab utraque acie paci ac libertati acclamatum est: nonnullis etiam populari studio Bonvisiae domui fausta apprecantibus: quod quibusdam, licet vanam, affectatae dominationis suspicionem movit. Incedentium hic ordo fuit: in fronte CC. cum ferreis arundinibus accensum funem praeferebant. His praeerat Vincentius Puccius; post quem Martinus Bonvisius insigni equo, lorica super thorace purpureo, armisque collucentibus tectus, sinistra clypeum, dextra pilum praetendens incedebat: medius turmae L. circiter juvenum nobilium, qui et ipsi armati in equis erant. Circa illum ingens multitudo ad latera cum hastis pilisque, nec non lori-

cis galeisque, tamquam custodes corporis adstabant: extremumque agmen amplius DCC. vario armorum genere instructi, sed eodem servandae patriae animo claudebant. hi satis ad salutem visi: plures etiam nocere posse timebatur. A porta faces praeferri coeptae, quae armorum repercussu terrorem geminabant. Tum alacres militum voces, pacem ac libertatem acclamantium, majorem quam pro numero speciem ingerebant. Hoc ordine Bonvisius recta in forum atque inde in palatium: nonnulli alii ad dextram declinavere, ut ab aversa palatii porta hostes aggressi, majorem tumultum cierent. Ut milites jam urbem ingressos celeri rumore vulgatum; clamorque ac fremitus fidem faciebant, illico seditiosis animi fracti: quippe nocturno tempore etiam dubia suorum fides timebatur. Jam perculsos alius insuper terror oneravit. quippe faces militari astu, non in fronte, sed in medio agmine locatae, in eam fraudem procul aspicientes induxere, ut crederent una cum luminibus aciem inchoare. Quare antequam se colligere aut adhortari mutuo possent, a supervenientibus excepti: (nam de industria primi ordines silentio incedebant) clamore ac impetu, mox etiam tormentorum ictibus disjecti, cum frustra obsistere tentassent, fu-

gam arripiunt vestibulumque palatii deserunt, multis eorum caesis, pluribus vulneratis: unde latior in caeteros trepidatio ac fuga. Tantusque terror incessit, ut tamquam lictorem ac supplicium in tergis sentirent, multi recta eo se conferrent, ubi paulo ante murorum pars quassatis fundamentis partem urbis ad orientem munimento nudaverat: perque ruinas et rudera erumpentes, exilio salutem quaererent: ut paulo ante, veluti divinando Barbatia praedixerat. multo prudentiores iis qui obliti quid meruissent, vana clementiae spe decepti, in urbe ad quaestiones ac supplicia mansere. Et quamquam ad inhibendam fugam illo Joannes Maria Boccella a decemviris missus est; tamen praeter quam quod is ex consulto terendo tempus extraxit: videns etiam plerosque, qui non adeo se scelere obstrinxerant, metu ruere, sortem eorum miseratus, laxiore custodia fugiendi potestatem fecit. sive ita purgari urbem e republica ratus. hostibusque fugientibus, ex vetere sententia, viam muniendam arbitraretur. Nonnullos templorum religio texit. quidam, etiam majore sui diffidentia, sepulchris latuere. alii Marsillae domum sanctius aliquid ac religiosius rati, in eam confugere.

Occupato jam a suis palatii vestibulo, Martinus inter laetas libertati ac Bonvisiae domui acclamantium voces aderat: ad quem excipiendum decemviri, non sine aliquo metu, obviam prodiere. quippe ea species civis plus quam privati perstrinxerat oculos: eaeque voces, non ut laetitiae impetu temere effusae, sed ex composito tentandis animis jactatae, tum arma, nox, publica consternatio, satis magnae ad suspicandum causae videbantur. Quare princeps in medium progressus: « ante, » inquit, quam ulterius pedem feras, hic tibi, » Martine, profitendum est; amicus ne huc » an hostis: tutor ne an oppressor libertatis » accesseris. Si eo animo es, ut rempublicam » solus habere velis, scito tibi per corpus » meum collegarumque meorum ad solium » eundum esse: nostrumque antequam patriae » parricidio ferrum imbuendum. Sin vero, » quod magis credere libet, reipublicae suc» curris; quid attinuit privatae familiae no» men publicis acclamationibus inserere: glo» riamque servatae civitatis, levi popularis » aurae favore corrumpere: ac recte facti » memoriam in vulgi temeritate potius, quam » in conscientia civium ponere »? Ad quae Martinus, non sine aliquo commoti animi in-

dicio, quod tamen venerationi publicae majestatis non obstaret: « se, ut ea familia genitum, ut res ad eam diem gestas deceat, „ tuendae non opprimendae libertati advenisse, „ respondet. eaque arma, illos milites, illos „ conatus eo spectare. nec sibi alienae temeritatis rationem reddendam: semperque sperasse, plus in animis civium valiturum quid „ ipse honeste faceret, quam quid alii temere „ loquerentur. Nomen Bonvisium libertati amicum, nec in ipsum eam suspicionem cadere; quam prolixius purgare verbis, agnoscentis esse ». simulque gladium, quo accinctus erat lateri eximit, ac principi tradens, « tibi, inquit, patria, quem pro te „ sumpsi reddo: et quicumque me inermem „ sponte videt, frustra timuisse agnoscat armatum ». Haec magna vultus animique fiducia dicentem, princeps patefacta porta, quam antea objectis repagulis firmari praeter portulam jusserat, complexu excipit, patremque ac liberatorem patriae salutat. idem collegae faciunt; eorumque exemplo caeteri, illum optimum civem, illum libertatis restitutorem aliisque magnarum virtutum cognominibus in caelum attollunt: noctemque quam reipublicae ultimam extimuerant, tamquam libertatis ac otii natalem, mutuo gaudio celebrant. Mox

etiam gratiae caeteris nobilibus actae, tum pro cujusque merito ducibus militibusque, qui in patriae salutem consenserant. tantaque laetitia animos omnium perfuderat, ut non aliter se quam ex inferis reversos, mutua gratulatione complecterentur. Ubi mundo reddita dies est, quae non tam solis exortu, quam libertatis luce illustrior videbatur, alia omnino facies urbis apparuit. cuncta ad quietem modestiamque composita. nec ullum victi victorisque discrimen, nisi quod cuique conscientia faceret. Nam qui seditionis contagio foedati in civitate substiterant, aut clausi parietibus; aut, si prodirent in publicum, ex ferocibus minacibusque, humiles ac demissi, vultuque incerto ac diffidenti aspiciebantur: contra vero bonorum alacres et erecti vultus, nec aliter laeti, quam si a busto ac exequiis reipublicae in vitam redissent.

Sed ut firmior pax sontium supplicio sanciretur, coactis in curiam patribus, post mutuas gratulationes, gratesque Superis ob tam insperatum bonum actas, referri placuit de iis, qui in iis turbis majori perfidia, et tamquam aliorum instigatores contumacius egissent. factumque S. C. quo praetori, una cum tribus ex numero decemvirorum, addito lictorum praefecto, cui tunc major honos habe-

batur, datum negocium, ut ea de re quaestiones haberent, deque reorum poenis quam primum ad senatum referrent. Sed ne remedia pejora malis essent, quoniam si latius severitas pervagaretur, illud apparebat fore, ut ingens civium numerus veniae desperatione fuga se subtraheret, urbique solitudinem faceret; placuit certis limitibus definiri poenam, denunciarique publice per praeconem, omnium praeteritorum veniam ratam fore, nec in alios inquirendum, nisi in eos qui novissimi tumultus auctores, aut conscii extitissent. Addidit huic humanitati senatus aliam benignitatem, laxata annona; ut malis discordiae civilis afflicta plebes, citius pacis bona sentiret. Dimisso senatu, statim a praetore in reos inquiri coeptum: multique ad quos crimen aut suspicio pertinebat, in custodiam dati. Verum nocentiores Marsillae penatibus inclusi, magno nomine se tuebantur; sed ad eos quoque extrahendos praefectus cum magna satellitum ac praeterea militum manu missus; cum occlusis foribus prohiberetur, insertis securibus laxari seras, ac excindi claustra imperavit: populusque qui frequens accurrerat, minaci clamore se aedes incensurum, nisi sontes dederentur, denunciabat. Quare Marsilla saluti suae metuens, quamquam invidiose clamitans

caesaris majestatem obtenderet, eos dedere coactus est. id unum aegre impetravit, ut quos in fidem suam receperat, ipse permitteretur in palatium deducere, decemvirisque tamquam caesaris depositum repraesentare. Id quod ex ingenio nationis, arroganti confidentia praestitit. Sed respublica jam se receperat: inanesque minae adversus rationem armatam nihil poterant. Fuere ii Ludovicus Matrainus, Joannes Baptista Cattanus, Georgius Garbesius, Totus Ciomeus, Joannes Podius, et Andreas cui a D. Agatha cognomen erat. Bartholomaeum Podium paulo ante Pandulphus Cenamus, quamquam cunctantem, ab eis abstraxerat: denunciato se eum tamquam patriae hostem manu sua interfecturum nisi paruisset. atque ita is mortis metu mortem effugit. Eamdem humanitatem nonnulli Cattano quoque ostentaverant; sed temerarius juvenis et quem jam sua fata rapiebant, salutares manus repulit: se se amicos non deserturum, eandemque cum illis fortunam libenter subiturum, vana constantiae jactatione affirmans. Venere quoque in potestatem senatus Matthaeus Vannellius, Dominicus et Theodorus Fontani, quos Morgantes appellabant, Bernardinus et Paulinus Granuccii, praecipui seditionis auctores. Puteolus vero, qui non

parva tot malorum causa extiterat, dum fugam molitur, ferrea glande ictus vitam amisit. ejus cadaver pedibus tractum per urbem, civium oculos merita poena satiavit. Interea habitis severe quaestionibus, expressaque confessione, qua reipublicae perturbatores arguebantur, sententia praetoris, quam senatus ratam esse jussit, capitis damnati qui in Marsillae domum confugerant: quamquam ea quae fecissent patriae imputarent, quam a tyrannis eripere cogitassent. Itaque sex illi quos supra memoravi, XII. Kal. maji in palatio securi percussi sunt: eorumque cadavera per turrim D. Romani demissa, spectaculo fuere; bona publicata et in fiscum redacta. Constat eos fortiter ultimae necessitatis articulum tulisse: sociis animos addente Ludovico Matraino; qui audax et facundus, ad constantiam hortabatur. honeste eos pro patria mori dictitans, quam a servitute eripere, magno, licet infelici conatu tentassent. Sed nullius aeque ac Cattani mors, omnium lacrymas excivit. Juvenis hic, ut ante memoravi, undevicesimum annum nondum egressus, eximio corporis flore, quique nobilem virginem Magdalenam Guidiccioniam despondisset; sed differebantur nuptiae donec maturior aetas appeteret. dives praeterea, et qui vetustae nobilitatis familiam

unus sustineret. Auxit ejus mortis invidiam vidua mater, quae lacrymis ac moerore confecta, cum privatim ac publice pro filii vita frustra supplex fuisset; nocte quae supplicii diem antecessit, dolore amens, celebriora urbis itinera, praecipue circa palatium ac forum miserabilibus querelis implevit: vociferans, appenderent filium, quantique pondo fuisset, se tantumdem argenti repensuram. Sed amor patriae aures civium maternis lacrymis obstruxerat. nec quicquam boni ab ea indole sperari poterat, cui rudimentum scelerum oppugnatio patriae fuisset. IV. deinde nonas maji eodem modo securi percussus est Matthaeus Vannellius, popularis factionis princeps, ac omnium fere malorum auctor, quae rempublicam afflixere. nihil tanto rerum motu assequutus praeter malam fortunam: parta aliis dignitate, sibi primum curis invidiaque, ad ultimum morte. quam eodem animo tulit quo meruerat: usque ad extremum spiritum audax, et opinione sua libertatis assertor, quam violaverat. tamen ea gloria non fraudandus, quod honores populo aperuit. quippe damnato auctore, acta valuere: iisque legibus nunc respublica nititur, quibus ipse concidit. Illi, ut furoris ita supplicii comites fuere Dominicus ac Theodorus Morgantes dicti: pater ille, hic

filius, infelici criminis mortisque societate indiscreti. quibus additi Nicolaus Corellius et Joannes Bellinus: quorum tres e numero tribunorum plebis extiterant. Distulit eo die magis quam evasit iram senatus Bernardinus Granuccius. nam paulo post XVI. Kal. junii ejus causa iterum ad cognitionem vocata, magna licet XIII. horarum contentione, aliis capitis damnandum, aliis mitiori poena afficiendum censentibus, tamdem ea pars vicit, quae ad mortem adigebat. quare insequenti nocte, ad eumdem quo caeteri modum, securi percussus; bona fisco addicta. Paulinus vero ex eadem familia, una cum Philippo ac Laurentio Matrainis, quorum postremus, ut supra memoratum est, ad aram libertatis sacris operabatur, e turri qua inclusi erant, ac mox e muris clam demissi mortem evasere. At longe infelicior fuit exitus Joannis Baptistae Danielii, qui palatini sacelli praefecturam adnitente populo obtinuerat, ac Josephi Matrariae: quorum uterque ordinis sui oblitus, populares discordias, quas sedare debuissent, pessimo exemplo aluerant. quippe reipublicae perturbatores convicti, ac solitis execrationibus exaugurati, intercluso spiritu vitam finiere. quibus non multo post accessit Andreas Cinacchius, quem ut conjurationis conscium, au-

gusto mense, capitis senatus damnavit. Horum suppliciis, velut piaculo lustrata civitate, patrum ultio conquievit; nec ultra caedibus saevitum. In eos vero qui majore venia peccaverant, pro portione criminis lenius aut asperius consultum. quippe alii ad certum tempus in custodiis habiti: alii ad triremes damnati: quidam relegati, aut in exilium pulsi. Virorum poenis feminas quoque inserere visum. pulsaque iterum in exilium Maria Podia, mulier audax ac seditiosorum nutricula: quae post gentilium suorum supplicia atrox et irata nobilitati, civilibus discordiis eorum manes ulta credebatur. cumque ejus instinctu Podiam familiam populus honoribus restitui curasset, senatus XVIII. Kal. augusti eo senatusconsulto rescisso, veteres poenas renovavit. praeter Joannem, qui securi percussus fuerat, Bartholomaeo, Theseo ac Gulielmo hostibus judicatis. Vincentio quinquennium CCC. passuum millibus ultra fines esse jusso: Bernardino post biennii carcerem in exilium expulso. Praeter quae, demum novembri mense alia in Podiam familiam severe constituta, quae alio loco memoravimus. adjecto, ut ad posteritatis admonitionem ejus familiae in rempublicam gesta, marmoreo lapidi quadratis literis inciderentur: isque in palatio publice loca-

retur: qui adhuc extat, veteris potentiae ac ferociae documentum.

Contra aliis ob navatam reipublicae operam in eo rerum motu, honores et praemia constituta. inter quos Bartholomaeo Brancolo, paulo ante in senatum adlecto annuum honorarium decretum. Cujus posteri ejus amorem fidemque erga rempublicam sequuti, honorem virtute majorum partum sua retinent. Eadem liberalitate, quamquam non ita meritum, senatus abeuntem Marsillam prosequutus est: praeter viaticum, munere duum millium aureorum affectum; adjecta causa, quod in turbidis reipublicae temporibus bene de ea meruisset. quod, quamquam falsum, tamen vanum hominem verborum officiis inflatum dimittere, patres e republica censuerunt; ne si iratus infensusque abiret, ut minatus fuerat, aliquid apud caesarem moliretur. quamquam, ut postea cognitum, nullo is numero apud principem erat. Nam Jacobus Arnulphinus et Blasius Maeus referebant, cum ad caesarem legati essent, de industria in colloquiis familiaribus sermonem de Marsilla inseruisse: eumque hominem sibi unquam auditum cognitumve caesarem negasse. quem postea paucos post annos Neapoli ad extremam inopiam redactum se vidisse, Vincentius Arnulfinus testabatur. Nec tamen

destitit pravi ingenii homo reipublicae incommodum se praebere, hostes judicatos aliosque exules excipiendo, ac literis apud caesareae aulae ministros juvando. nam qui seditionis causa exulabant, veteres iras retractantes, variis criminationibus adversus nobilitatem, diversorum principum oratorumque aures implebant. Lucenses patricios mediceae domui infensos, ac animo a Francis stare. propterea in populum tam acerbe saevisse, ut caesarianis partibus fidum. Haec praecipue jactata apud Alexandrum Florentinorum ac Alphonsum Ferrariensium regulos: quos accipiendis odiis, ut finitimos, proniores credebant. literaeque Granucciorum quibus senatum calumniabantur, interceptae in manus patrum venere. Cumque de ea re a decemviris relatum esset, Vincentius, Sebastianus ac Joannes Baptista Granucci hostes judicati ac extra Italiam esse jussi: adjecto, ut relegationis fines egressi CC. aureorum praemio interficerentur. pariter, ut eorum conscii, hostes judicati Bartholomaeus Podius, Andreas et Simon Brancoli, ac Philippus Matrainus: datumque negocium triumviris Hieronymo Menochio, Martino Bonvisio et Augustino Balbano eos puniendi: facto S. C. ut in atroci re solet, viderent ne quid respublica detrimenti caperet. In Granuccios vero ut sce-

leris principes decretum, ne cui ex ea familia ex urbe aut agro lucensi, inconsulto senatu, egredi fas esset. nec iis querelis intactae aures caesaris erant. Nam quidam perduellium favore Marsillae in aulam imperatoriam penetraverant: serendisque inter aulicos sermonibus, tyrannos Lucae dominari; omnia caedibus ac exiliis plena; privatas inimicitias publico nomine vindicari: ut quisque caesari fidus, ita bonis exui, suppliciis ac proscriptionibus e medio tolli criminabantur. Sed caesar, ultra insitam prudentiam, etiam triumvirorum literis, ac Lucensium legatis admonitus, bona spe interim eos differebat, causam se cogniturum spondens, ubi Lucam adventasset, quod brevi facere meditabatur. cumque postea caesarem in urbem advenientem, usque ad fines prosequuti essent, flagitarentque ut datam fidem exolveret; is Granvellano, qui illius arcanorum arbiter erat, negocium dedit ut causam cognosceret. Senatus Nicolaum Orsuccium, ac Jacobum Burlamaccum legit, qui suo nomine adessent. quo tempore, cum Orsuccius alte petito principio dicere coepisset: et appareret, si res pluribus ageretur, laedi causam posse; collega abscissa oratione interfatus: » quid, inquit, » longo circuitu opus est, cum uno verbo tran» sigi possit? a caesare leges accepimus: se-

» cundum eas de judicum peregrinorum sen-
„ tentia, in reipublicae perturbatores animad-
„ vertimus: nec ejus facti cuiquam alia red-
„ denda ratio est. exhibitisque quaestionum tabulis, Granvellanus ad augustum retulit, omnia jure ac ordine acta: potiusque clementia quam saevitia peccatum. ex eoque tempore caesaris aures perduellium querelis obstructae; nec illi ultra tentavere. Hunc exitum habuit celebris Laceratorum seditio, quae XI. mensium spatio civitatem variis casibus exercuit. quam si quis justa aestimatione perpendet, ullius alterius populi modestiorem haud temere reperit. quippe in ea ita a furentibus saevitum, ut parcentium propiores essent: eodemque tempore et defenderent rempublicam et oppugnarent. Quid enim aliud declarat, in tot armis tam exiguus caedium numerus: ignes gladiique, ab iisdem qui intentaverant, toties conditi ac extincti; nec quidquam magis cautum quam ut etiam perdendo libertatem servarent? Nec patres, recepta republica, ulciscendo modum egressi: non nisi in nocentissimos expedita ultione: idque postquam sontes clementiae veniaeque toties illusissent. illud etiam moderationis indicium est, plerosque, qui per eum tumultum ad honores irruperant, retentos ac patriciis aequatos. pari ipsorum laude, qui stu-

dio ac fide erga rempublicam meruere. Unde ex eo tempore animis sincere conciliatis, alta civitati quies: priorumque memoria plane abolita, senatus patrium animum, plebs modestiam subjectorum recepit: omnisque ad hanc diem concertatio fuit, clementer imperandi, ac obedienter parendi: mixto inter libertatem ac servitutem imperio obsequioque: quod rerum publicarum firmamentum est.

LIBER XV.



BREVIARIUM LIBRI

Dissidia inter finitimos. conjuratio adversus rempublicam patefacta. cavetur meretricibus. Clementis VII. obitus. ei Paulus III. succedit Lucensium amicus. plures Lucenses honoribus praefecturisque ornat. Carolus V. insigni pompa in urbem excipitur. ejus de munitione urbis judicium. Sanctes Pagninus floret. Alexander Medices interficitur. illi Cosmus succedit. Massenses armis coerciti. Cosmus Medices Vincentium Podium fovet. Paulus III. massiliensi itinere Lucam venit. filiis alienigenarum interclusi honores. arma inter Quiricenses Castrique veteris incolas mota. Quiricentium feminarum virtus. Pontitensium et Lanceolensium discordiae. Bartholomaeus Guidiccionus cardinalis creatur. turbae inter accolas Aesaris exortae. Carolus V. et Paulus III. Lucae congrediuntur. Joannes Guidiccionus moritur. Petrus Fatinellus dominationem affectat. prava religio serpit. ob eam discrimen aditum. Cardinalis Spinula Lucenses Geneva revocare studet. eorum libri in foro exusti. Musici a decemviris primum conducti. Fran-

ciscus rex Turcas in auxilium vocat. Franciscus Burlamaccus liberandae Etruriae consilium capit. detectus caesari traditur, ac securi percutitur. Henrici Britanniae, Francisci Galliae regum obitus. Praefectus juri intra sex mille passus dicendo creatus. Senenses a caesare bello petuntur. Nicolaus Franciottus senatum in partes Gallorum trahere studet. bellum senense reipublicae incommodum. Senenses libertatem amittunt. Carolus V. regna et imperium abdicat. Lex martiniana, qua homines novi ab honoribus exclusi. ea lex ad oligarchiam via. Paulus IV. male de Lucensibus opinatur. Ferdinandus imperator annuam pensionem XV. millium remittit. leges in desertores religionis latae. Carolus V. moritur. Lucenses filio commendat. funus illi publice factum. Reguli in urbem excepti. Pius IV. Lucensibus amicus. lacus ad Sextum emittitur. Pius pontifex rosam auream senatui dono mittit. commercium cum Genuensibus interdicitur. Petri Buzolini proditio ac supplicium. Urbana militia recensetur. Turcae victi ad Echinadas. Congregatio Matris Dei a Joanne Leonardio instituitur. Palatium fulmine magna ex parte corruit. Magnificentius extruitur. bellum mutinense. Pauli Chiariti scelera ac supplicium. Manna in Lucensi pluit. Vervecini morbi origo ac genus. Gregorius XIII. annum emendat. bellum cum Mutinensibus renovatur. Urbs novis moenibus cincta. Jo. Baptista Castruccius cardinalis creatur. Imago B. Virginis a milite percussa signis

claret. altari argenteo includitur. fames Italiam vexat. Gregorius XIV. civis Sixto V. succedit. ob ejus creationem Lucensium laetitia. Flaminius Nobili sapientia claret. Bernardini Antelminelli de prodenda patria consilium. Ejusdem ac trium filiorum supplicium. Philippus II. rex moritur.

Acta LVIII. annorum continet.

ANNALIUM

AB ORIGINE LUCENSIS URBIS

LIBER DECIMUSQUINTUS

Defuncta eo periculo civitas (1), tandem respirabat, cum domesticos hostes externi excepere. Fani Feroniae incolae lucensi populo semper infensi, perfidiae suae dissimiles Camajorenses, vetere aemulatione vexandos susceperant. quippe pravo finitimos exercendi studio potius quam utilitate quae ex eo opere ventura ad eos esset; fluminis quod per utriusque oppidi fines praeterfluit, alveum mutare aggressi, eo rem deduxerant, ut vis et arma, ni coeptis absisterent, timerentur. Sed id quoque discrimen sapientia patrum discussum est; nam cum disceptando apparuisset, si flumen in palustria ac mari proxima verteretur, agros stagnantibus aquis oppressos siccari citius posse; negocium XII. viris datum, qui si ex utilitate pu-

(1) Ann. 1532.

blica censerent, id opus molirentur. Sed sive operis difficultate, sive Feroniensium ardore, ubi nemo obsisteret languente, omissum: quod aetate nostra eadem spe tentatum, opinionem fefellit; fluvio sponte antiquum ad mare iter repetente: cum per declive ferri solitus, tardato aquarum impetu, per plana longius porrectus, agrorum damno late stagnaret. nec ea re solum hoc anno ejus oppidi incolae adjuti: sed statui eorum componendo, quod per civiles discordias nutabat, IV. viri iisdem postulantibus a senatu missi: qui oppidum fertilitate agrorum, municipumque industria ac artibus dives, latis opportune legibus servavere. Sequenti anno (1) cum aedes suburbanae a Paulo Guinisio regia munificentia extructae, praestatione graves essent; placuit eas distrahi, privatorumque emptione fieri. atque ita praeclarum illud opus, principum regumque hospitium ac sedes, quod ultra centesimum annum, veluti receptae libertatis spolium extiterat, avara nimis computatione, per dedecus publicum alieni juris factum. Fine ejusdem anni conjuratio adversus reipublicae tranquillitatem patefacta; cujus praecipuus auctor Vincentius quidam Mo-

(1) Ann. 1533.

zanensis, qui sacerdotio initiatus, parum ordinis sui sanctitatis religionisque meminerat. Hic animo ac manu promptus, callidus idem et in periculis audax, bonus consilio, et quacumque incubuisset pertinax, non minus magna quam mala moliebatur. sed scelere parum felici captus, et a praetore supplicio affectus; ante, ut moris est, diris ac execrationibus exauguratus. Is qui successit annus(1) in montanis ad Pistoriensium fines initium turbarum fecit inter Vicenses Pupilliensesque: sed brevi ea controversia, misso Silvestro Trenta Florentiam finita: datusque Ludovicus Buonvisius a senatu arbiter, qui cum Florentinorum praefecto transigeret. Acrior in feroniensi provincia inter Castellionenses Foxanensesque (2) discordia exarsit: quae cum saepius Ferrariam Dino Sardinio commeante componi nequisset, in arma deinde ac bellum pene, multa utriusque gentis clade erupit. An quae sequuntur literis mandarem, diu in ancipiti stylus haesit; sed quoniam in acta referri placuit, utcumque accipienda sunt, posteritati non subtraham. illud saltem justitiae patrum documentum habitura, dum tam severe etiam infimis cavetur. Percrebuerat

(1) Ann. 1534.
(2) Pieve a Fosciana.

mos, ut juventus per insolentiam lasciviamque abjecti pudoris feminis insultaret. qua re ad senatum delata, acri S. C. patres statuere, ut qui earum quampiam, quae vulgato corpore quaestum facerent, injuria affecisset, ea lege teneretur, qua nobilitati, antiquaeve originis civibus consulitur. per quae, summi fastigii viris ea labes aequabatur. id quoque impetravere, ut sine ullo discrimine ubicumque libuisset habitarent. periculosa indulgentia, ad sollicitandam pudicarum fidem exemplis ex propinquo valituris. quae cum prisca gravitate hominibus, antiquosque mores retinentibus, disciplinae solvendae initium censerentur, damno censentibus fuere: eorum oratione non perinde, eoque quo dicebatur animo accepta. quippe cum Lucas Gratianus acerbe contra eam legem in senatu invectus, multa per animi ferociam contumaciter ac inverecunde dixisse visus esset, ademptis honoribus nimiae libertatis poenam tulit. Eo anno VII. Kal. octobris Clemens pontifex decessit, quantum apud suos ob ademptam libertatem iniqua, tantum prospera apud Lucenses fama, quibus parentem se amicumque omni re ostendit: invicem dilectus cultusque. proximis comitiis ei miro consensu patrum suffectus est Paulus III. gente farnesia: quem prudentia, ac consilio validum, ingentis ani-

mi, et cuivis magnae rei parem; multo praeterea rerum usu, sexque pontifices secunda fama emensum, judicium omnium eo fastigio dignissimum reputabat. Accesserat Clementis suffragium, qui extrema valetudine Farnesio, quasi pontificem aut divinaret, aut faceret; christianam rempublicam commendaverat. Nec publicam expectationem fefellit: multo etiam major clariorque gesto principatu quam adepto. Lucensibus certe mire favit. quippe inito statim honore, Caesarem e Nobilibus senatorem urbis creavit: eidemque regendae Joannem Guidiccionum semproniensem antistitem, eximia ingenii ac literarum gloria, nec prudentia minorem praefecit. accito etiam inter initia principatus Bartholomaeo Guidicciono; qui ipsi olim inter familiares, egregia legum peritia, et quantaecumque fortunae capax, aulae pertaesus in Carinianensem villam secesserat, procul ambitione quieti ac literis vacans. quem diu recusantem obluctantemque fortunae suae, cum pro imperio tamdem vicisset, maximis curationibus admotum, inque praecipuas regni partes adscitum, purpura deinde ornavit: successoremque destinaverat, ni fata ante vertissent. qui Pauli in Lucenses amor adeo non obscure patuit, ut vulgo jactaretur pontificem romanum lucensemque esse. Ea re-

nunciatione patres, ut par erat, laetati, tres ad eum salutandum legatos misere Bartholomaeum Arnulphinum jam aulae notum, Balthassarem Montecatinum et Joannem Bonvisium: cui, ut civibus mos est, quartum Caesarem de Nobilibus, qui Romae erat, adjecere. cum Bartholomaeus Guidiccionus in id munus lectus, pervicaci otii cupidine recusasset. Splendidissima ea legatio, et virtute ac nobilitate gerentium, et maximis quibus excepti sunt honoribus, extitit. ex aulae ingenio, cunctis in eorum obsequium certantibus, quos caros eximiosque dominantibus novere. Aliae quoque eo anno legationes missae, ut reipublicae tempora poscebant. ac caesare in Turcas expeditionem meditante, cum Antonius Leva ejus in Italia procurator, de ineundo foedere, ac pecuniarum subsidio in id bellum senatum appellasset; lecti insequenti anno (1) XII. viri, qui ea negocia ex utilitate publica transigerent. creati quoque alii XII. cum summa potestate legatos praefectosque quacumque expediret destinandi. quorum jussu Nicolaus Orsuccius et Hieronymus a Porticu ad caesarem; Vincentius e Nobilibus Ferrariam, Ge-

(1) An. 1535.

rardus Macarinus senatui a secretis Senas, Philippus Calandrinus Florentiam ivere: cum lites inter Feroniae Fani, Campique majoris incolas exortae: multoque magis Feroniensis provinciae motus rempublicam exercerent. Inter eas turbas laetissimus Italiae lucensique urbi insequens annus (1) illuxit adventu Caroli caesaris, quem ex Africa revertentem tunetana victoria insignem Sicilia primum, deinde in continentem transgressum Neapolis, inde Roma summis illis augustis caesaribusque veteris memoriae parem excepit. Senis agentem, quamquam eum Nicolaus Orsuccius reipublicae orator prosequeretur, placuit e nobilitate principes Blasium Maeum et Jacobum Arnulphinum mittere, qui in urbem invitarent. benigne excepti auditique retulere, caesarem, ubi Florentiam ad Alexandrum generum filiamque Margaritam perrexisset, pridie Non. maji Lucam affuturum.

Hic nuncius ut incredibili laetitia, ita animos omnium sollicitudine comparandi ea quae tantum hospitem decerent implevit. adventanti ad fines XL. nobilium turma in equis praesto fuit; quos tunicae e villoso serico conspicien-

(1) An. 1536.

dos fecerant: praemissa ante mille jumentorum multitudine ad onera sarcinasque imperatoriae cohortis pervehendas. Ad Lunatam vicum tertio ab urbe lapide alii XL. eodem habitu cultuque obviam progressi, senatus populique lucensis nomine eum salutavere: quem felicem beatumque imperatoris post Augustum caesarem maximi praesentia futurum affirmabant. Ubi in conspectum murorum ventum, quos omnis aetatis sexusque turba compleverat, tanta tormentorum vis repente excussa, ut caesari miraculo esset. interim sacro aere e templorum turribus inter bellicum fragorem misto laetitia metu personante. ad D. Martini propugnaculum extra portam egressa omnia sacrorum hominum collegia elatis vexillis; basilicaeque Martinianae sacerdotes velati infulis illum laeto cantu excepere. nec multo inde decemviri trabeis purpureis omnes ad majestatem ornati, prosequente togatorum, ac infinita populi multitudine obviam facti. e quibus Hieronymus Balbanus, quoniam Matthaeum Gilium collegii principem valetudo adversa detinebat, claves urbis manu praeferens „ cape, „ inquit, imperator auguste, urbis nostrae cla- „ ves: animos ante tradidimus. Libertatem do- „ mus vestrae beneficio olim receptam, ma- „ gnus Rodulphi nepos serva. Carolum reipu-

„ blicae lucensi faustum nomen volentes exci-
„ pimus. quam adventu suo Carolus IV. li-
„ bertatem dedit, Quintus consecrabit. » Ad quae caesar porrecto ad hilaritatem vultu: „ ego vero, inquit, accipio, inque vestras
„ manus tam fidas hactenus illarum custodes
„ repono. quales reperi, liberos immunesque
„ relinquo, et siquidem opus sit, iterum fa-
„ cio. „ aliaque addidit, quibus Lucensium fidem commendabat: parentemque ac tutorem urbis se futurum perpetuo pollicebatur. quae voces a proximis exceptae, atque ad alios inde perlatae tantum gaudii vulgo excivere, ut laetis acclamantium vocibus omnia streperent: nec alia gaudentis populi facies esset, quam si tunc primo libertatem accepisset. multitudinis clamorem iterum excussa tormenta intendere: cunctisque circa festo tumultu personantibus, non alium urbi laetiorem affulsisse diem etiam extremo confecti senio fatebantur. his peractis, caesar urbem intravit, pompa illum hoc ordine praeeunte. Antecedebant sacerdotum collegia sub suis quaeque signis de more incedentia: quibus proximi ibant diversarum gentium regumque legati, qui caesarem comitabantur: inter quos Guidiccionus semproniensis antistes pontificis Pauli nuncius primum locum obtinebat. hos excipiebant cen-

teni ferme in equis Lucenses, qui lecti, ut dictum est, e flore nobilitatis obviam processerant. his triginta nobiles pueri pedibus succedebant, superiori veste alba, caetero amictu e panno damasceno nigro, palliolis ejusdem coloris ex humero rejectis. capita petasis e villoso serico velabantur, albenti pluma aureaque bulla ad levam fulgentibus. pone palatina cohors sequebatur, tibicines, accensi apparitoresque: quibus proximi decemviri praetextis purpureis velati adequitabant. ac tum demum aulicis antecedentibus caesar sub aureo velo incedebat, patriciis illud dextra laevaque praeferentibus. cultus illi habitusque intra civilem modum ex villoso serico: tegmine capitis non absimili, quod aurea bulla conspiciebatur. ante pectus insignis gemma ex aureo torque, ad latus pugio pendebat. ipse hilari vultu, aspectumque in multitudinem quae confertissima adstabat subinde convertens, capiendo gaudium faciebat. proximi illum quatuor insignes reguli sequebantur, Bavarus, Brunsuvicensis, Florentinus, et Albanus. tum Vastii dynasta fama belli clarissimus, ac regulus brandeburgensis: nec non innumera principum dynastarumque multitudo: inter quos caesari propinquiores ibant legati Lucensium, qui illum prosequuti extra urbem fuerant.

Ipsa vero urbs in triumphi speciem composita cernebatur. Viae, ut verno tempore, floribus coronisque constratae, parietes velis auro sericoque intertextis ornati. tum pluribus locis insignia caesarum cum emblematis symbolisque pendebant: vexillis etiam in propugnaculis turribusque imperatoriam aquilam alte praeferentibus. praeterea subinde ad fora columnae, ac in veterum Aegyptiorum aemulationem obelisci attollebantur; carminibus in caesaris honorem inscripti: quibus ab eo pace belloque res gestae antiquis caesaribus regibusque aequabantur. Matronae virginesque eximio cultu ornatae, e fenestris spectabant spectabanturque. Caesare comiter ad eas crebro suspectu oculos vultumque attollente: illis interea rosas omnisque generis flores, qua incederet, ex alto spargentibus. hac pompa per forum arcumque ad martinianam basilicam deductus est, ubi adoratis numinibus, in proximas antistitum aedes concessit, regio cultu apparatuque instructas: opulenta tunc civitate, et in magnis hospitibus excipiendis profusa. Alii proceres regulique in privatas nobilium domos distributi. milites qui ad XXX. millia sequebantur, in pratis extra urbem tetendere: tribus tantum hominum millibus ex universo comitatu secum introductis.

Quo tempore caesar in urbe commoratus est, nil a patribus omissum, quo cultum venerationemque ejus testarentur. in ejus honorem senatusconsultum factum, ut quousque caesar in urbe agroque lucensi esset, exules, praeter quam qui lege majestatis hostes judicati essent, libere commeare possent. custodiae quoque patefactae, noxiique omnis generis emissi. decreverant quoque patres, ne noctu urbis portae clauderentur; sed caesar quicquam ex vetere instituto mutari vetuit. Sequenti die a prandio caesar popularitati ostentandae, sine custodibus corporis, Vastio comitante, porta egressus, moenibus urbis adequitavit. inspectisque munitionibus fossisque, ac propugnaculis, aeneorumque tormentorum numero, ad comitem versus „ parvam mihi, inquit, modicam-„ que civitatem finxerant: sed meo judicio ta-„ lem video, ut non nisi magno labore mul-„ tisque hominum millibus expugnari vix pos-„ sit „: Vastio, qui militaris rei ea aetate peritissimus habebatur, caesaris judicium approbante. per quae artes eorum intellectae, qui de industria Lucam caesari extenuaverant, ut eam facilius finitimi alicujus imperii accessionem fieri pateretur. quo magis cognitum Caroli adventum salutarem urbi extitisse. Denique VI. Id. maji, cum triduum substitisset,

sacris in cella sancti Vultus interfuit; caelestique illo spectaculo diu satiatus discessit. Abeunti dona magnifice data, pretiosae vestes, pannique serico ac auro intexti: quos partim Augustae ferendos seposuit, partim amicis distribuit. et quantum ex publicis privatisque ejus sermonibus, qui deinde vulgati sunt, colligi potuit; hospitum comitate laetus, et amicior urbi multo quam venerat profectus est. Post discessum caesaris pacandae discordiae, quae inter decemviros et Riarium antistitem exarserant, animi adjecti: datumque negocium Jacobo Burlamacco, Hieronymo Arnulphino ac Benedicto Manfredo, ut ea simultas inter reipublicae capita tolleretur. Hoc anno IX. Kal. septembris Lugduni in Gallia obiit illustris civis Sanctes Pagninus, qui Praedicatorum ordinem professus, peregrinarum linguarum, judaicae in primis, cognitione; sacrarumque literarum scientia omnes ejus aetatis superavit: scriptis famaque posteris celebratus.

Insequens annus (1) per initia atroci facto funestus extitit, Alexandro Florentinorum regulo Laurentii Medices fraude caeso. quod, ut olim interfecto Caesare, cum aliis pessimum,

(1) Ann. 1537.

aliis pulcherrimum facinus videretur; Florentini inter dubitationem ac spem repetendae libertatis deprehensi, iterum servire coacti sunt; Cosmo Joannis, qui quondam bello claruerat, filio, reipublicae principe suffragiis creato: cum jam ante illum militum gladii renunciassent. sub cujus, ac deinde posterorum ejus tutela florentina res variis casibus diu jactata, ad hanc diem quiescit. Ad eum salutandum patres Paulinum Arnulphinum statim misere. quo cum tanta deinde benevolentia intercessit, ut eum senatus datis literis patrem patronumque reipublicae appellaret. Initio novi principatus, Cosmi potentia nondum coalita, patres ad recuperanda oppida quae Florentini per injuriam occupaverant, animum adjecere. praecipua Feroniae fani cura angebat, quod Leonis tempore amissum, velut jugum cervicibus reipublicae haerebat: lucensem agrum se se illi insinuando dissocians. Itaque IV. viri creati, qui in eam rem sedulo incumberent; quorum opera Nicolaus Orsuccius ad caesarem irrito exitu destinatus. litibus quoque inter Vicenses Pupilliensesque componendis IX. viris negocium datum. quippe animis utrinque accensis mutua clade inter eos populos diu saevitum erat: ausis hinc inde hostilia, strage arborum villarumque incendiis, abactu pecorum, atque etiam homi-

num caede: cum hinc rapientibus, illinc prohibentibus, manus et arma miscerentur. Sed cum utriusque partis pervicacia inter procuratores convenire non posset, arbitrium Bononiensi cuidam, humani divinique juris scientia claro permissum. Insequenti anno (1) turbatae res, initio a Massensibus orto; qui Ignosensium aemulatione, ut inter finitimos, subito impetu in eorum agrum transgressi, cuncta populando incendendoque magnam cladem intulere. quod ubi Luca nunciatum, patres justa ira moti bello persequendas injurias decrevere. Itaque creatis armatorum praefectis Bartholomaeo Cenamo ac Hieronymo a Porticu, eos raptim collectis ex agro militibus, externisque mercede conductis in hostilem agrum immisere. Itaque pari clade saevientibus cuncta igni ferroque vastata, caedibus arborum, villarumque incendiis ardebant. nulla misericordia, ut in acerbos hostes, qui nulla injuria lacessiti tam foeda crudelitatis exempla edidissent. ob quae tantus incolis injectus terror, ut desertis agris in oppidum arcemque confugerent: clausique moenibus ab inferenda vi ad propulsandam converterentur. praecipua clades a Caesare Garfa-

(1) Ann. 1538.

guino fani Feroniae cive illata: qui locorum gnarus cum ducentis militibus quibus praeerat, passim excurrendo, caedibus rapinisque omnia complebat. quamquam ad eum motum Cosmus Florentinorum regulus excitus, milites ad obsidendum Cerviae saltum, unde in lunensem provinciam aditus, misisset, qui Lucensium copias transitu prohiberent. sed transversis per montium juga tramitibus, belli impetu transgresso, jam de obsidendo oppido consilia a ducibus agitabantur, certa potiundi spe; cum Vastii regulus, qui pro caesare Insubriae imperitabat, misso aquilano antistite senatum oravit, ut in ipsius gratiam ab armis discederetur: curaturum spondens, ut reipublicae de injuriis satisfieret. quod, quamquam aegre et gravatim, tamen tanti viri meritis, ac caesaris nomine quod precibus obtendebatur concessum. cujus sententia biennio post Massenses IV. aureorum millia Lucensibus praestare jussi: contra quam Adrianius, non hoc uno Lucensium nomini iniquus, memoriae prodidit: publica tabularum fide aut negligentiae aut livoris convictus. quem alias verbosum, et multis pauca complexum, nullo praeterea styli flore, vix cognitione dignum periti arbitrantur. Dum haec aguntur, senatus in diversa loca legatos dimiserat, qui non sua

culpa turbari Italiae res docerent. Ivere, Romam Bonaventura Barilius senatui a secretis, Genuam Paulinus Manfredus, et Galeottus Rapondus Florentiam. multumque in ea componenda discordia laboravit Paulinus Arnulphinus, vivido ingenio, et in agendis rebus dexteritate insignis. Neque hoc anno tantum ex ea parte turbatum. Vincentius Podius post admissum scelus diu incertus vagusque, tandem velut in portum ad Alexandrum Medicem se contulerat. eoque occiso in fidem a Cosmo receptus, supplicium effugisse minime contentus, quacumque re posset, bonitatis suae poenas a republica expetebat. quare hoc tempore cum per Senensium fines lucensium negotiatorum res latrocinantis modo invasisset, patres per legatum suum apud caesarem, ejusque in Italia procuratorem Vastium conquesti; raptas merces reddi, auctoremque facinoris aut dedi, aut in eum animadverti flagitabant. praecipua invidia Cosmus erat, qui perduellem hostemque amicae gentis in sinu foveret: maculatumque principis sui sanguine, pessimo exemplo, ad latrocinia et scelera insuper favore suo accenderet. Quare caesaris literis increpitus, quibus et reddi res, et illum aut Lucensibus dedere, aut ipse plectere jubebatur. et res quidem statim restitutae; deditio

extrahebatur. quare minacibus Vastii literis officii admonitus, cortonensem antistitem in Hispaniam legavit, caesarem orans, ne in rem tanto sibi dedecori futuram adigeretur. quid enim principi viro turpius, quam hominis fidem suam sequuti desertor et proditor appellari? quod cum impetrasset, Vastium acerbe offendit, tamquam ipsius imperium elusisset: ut exinde illum parum propitium rebus suis senserit. Nec deinde viventem, sed etiam mortuum Vincentium Cosmus fovere desiit. sunt apud me ad viduam defuncti uxorem signatae ipsius manu literae, quibus eam ad filiorum curam adhortatur, opemque suam ad omnia enixe pollicetur. Eodem anno Pauli pontificis adventu civitas nobilitata: duobus christianae reipublicae maximis principibus intra biennium hospitio exceptis. quippe in itinere massiliensi quo ad caesarem proficiscebatur, aprili mense lucensem agrum ingressus, quatuor legatis ad fines obviam progressis, cum sub vesperam ad D. Quirici fanum pervenisset, in villa Bonvisia ea nocte conquievit. postridie mane urbem intravit, universa civitate cum decemviris obviam effusa. Ipse summi sacerdotii cultu humeris hominum alte sublatus, principibus viris aureum velum praeferentibus, inter laetas acclamantium voces ad basilicam martinianam

incessit; atque inde in aedes pontificum, ut ea majestate dignum erat, instructas. Purpurati, qui septeni eum prosequebantur, aliique praesules, privatorum hospitiis, de more gentis, laute accepti. Post Pauli discessum patres ad publica negocia conversi, Cosmo Mediceo, quod delatum illi patriae principatum caesar probasset, Blasium Maeum ac Ludovicum Bonvisium gratulatum misere. qui comiter auditi, laetatum eo honore Cosmum domum nunciavere. aliae quoque legationes, ut ea tempora poscebant, alio destinatae. Nicolaus Orsuccius Mediolanum, Nicolaus Liena et Hieronymus Arnulphinus in Hispaniam ad caesarem, Galeottus Rapondus Romam, Vincentius Saminiatius Bononiam, Silvester Trenta ac Hieronymus Lucchesinus ad Vastium, Gerardusque Macarinus senatui a secretis Florentiam ad Cosmum principem ivere. Per idem tempus decretum, ut fossae circa urbem siccarentur; comperto nebulas pigro palustrique humore exhalantes, corrupto caeli spiritu, corporum salubritati noxias esse. ingenti etiam operi mutandi Aesaris alvei manus admotae. quippe cum magna camporum strage ad Orientem flueret; per Moriani fines in occidentalem plagam recto itinere deduci placuit. Ejusdem anni fine senatusconsulto cautum, ut non nisi nepotibus

alienigenarum aditus ad honores esset; cum antea liberis, qui in civitate orti essent, eos capere licuisset. coeptum bello annum par exitus clausit. inter oppidanos D. Quirici Adrianae regionis ac Castriveteris incolas (non Pontitenses, qui Lucensium juris sunt, ut falso Adrianius) pistoriensis agri lites exortae eo processerant, ut vulnera et caedes utrinque fierent. Sed cum Quiricenses superiores essent, hostes cupiditate ultionis, duce Morgante castellionensi, qui per vanitatem apud regulum florentinum jactaverat, se cum solis regionis ad Naevulam amnem sitae copiis id oppidum expugnaturum, bellum parant. Sensit Jacobus Sardinus qui eam praefecturam obtinebat, accitisque propere Subgromineo ducentis militibus, adventum hostium opperiebatur. sed illis moram ducentibus, cum oppidanis praesidium sumptu grave esset; praefectus, caeteris dimissis, L. e promptissimis secum retinuit. quod ubi Morganti nunciatum est, laxatam scilicet custodiam dimissosque milites; concepta spe occupari facile oppidum praesidio nudatum posse; raptim collectis copiis sub lucem se se ad muros ostentavit. Praefectus improviso hostium adventu minime territus, armari oppidanos ad LXXX. una cum praesidio jubet, eosque per moenia disponit: dimissis propere per vicina

oppida nunciis, ut cum subsidiis quam citissime advolarent. Coepta itaque oppugnatione, tanta vi in subeuntes parva propugnatorum manus coorta est; ut tormentis, saxis, omnique missilium genere repulsos longe submoverent. feminarum praecipue ardor eminebat, e fenestris domorum quae plerumque muris continentes sunt, saxa hastasque jacentium; tanta virtute, ut quaedam etiam raptis in sublime scalis hostes praecipitarent. quorum pluribus caesis debilitatisque, sustentatum donec confluentibus undique armatis, fugam arripuere. caesique ad unum eo die essent; nisi praefectus avidos insequendi milites, objecto mortis metu, fines egredi prohibuisset. adeoque apud eos trepidatum est, ut Piscienses jam cladem vastitatemque divitis oppidi, quod ejus regionis caput est, cogitarent: temeritatem ducis multum incusantes. Sed praefectus vim propulsasse contentus, modestiae quam victoriae laudem maluit. fuga hostium nostri scalis machinisque, ac spoliis omnique impedimento potiti. Morgantes qui regulo ejus expeditionis auctor fuerat, ob irritum inceptum irrisus traductusque, pudorem non sustinens, missionem petiit impetravitque. nec regulus Lucensibus magnopere proinde offensus, quasi temerario homini merito accidisset. Circa hoc tempus Beverino

Liguriae orientalis oppido Joannes Paschalini filius domicilii causa Lucam migravit; a quo familiae nostrae in Tuscis origo. Insequenti anno (1) Italia tota annona laboratum; cum superioris anni messis jejuna ac sterilis spem fefellisset. Ligures praecipue id malum sensere: Florentinique ad eam inopiam redacti, ut vix in mensem urbi agroque alimenta superessent. Lucenses praeter commune malum, etiam hibernis militum Hispanorum vexati, quos ad termille Vastius inopia commeatuum, sociorum misericordiae commendaverat. quin etiam nisi patrum sapientia occurrisset, bellum prope iis cladibus cumulus accessit. Superiore tumultu in Adriana regione vix dum sedato, Pontitenses valida ac bellicosa gens, finitimos saepe privatis contentionibus vincere assueti; Lanceolensium, qui ad fines in Pistoriensi incolunt injuriis lacessiti, sumptis armis, inque vicum eorum progressi, multos interfecerant: iis qui metu in arcem profugerant, injecta flamma miserabiliter crematis. quod ubi nunciatum est, patres justa ira in publicae quietis perturbatores accensi, VI. viros creavere, qui noxiis conquisitis, meritas poenas exigerent.

(1) An. 1539.

ab iis Hieronymus a Porticu cum valida militum manu Pontitum missus, cum id malum contagione vulgatum ad quamplurimos pertinere comperisset; quatuor arreptis, qui in eo furore principes aliorum extiterant, Lucam vinculis oneratos misit, qui paulo post e ferreis Jani vectibus, exemplum caeteris in foro suspensi, domusque illorum flammis deletae. quibus florentino regulo satisfactum: cum ipsi quoque cognitum esset ea non publico consilio, sed privatis simultatibus ab studio partium profecta; dum alii caesarianam, alii adversam factionem tuentur. Inter tot molesta id laetum civitati hoc anno contigit, Bartholomaeo Guidicciono, quem a Paulo pontifice, clarum humani divinique juris scientia Romam accitum memoravimus, in collegium purpuratorum relato. Patres eam dignitatem egregio civi gratulati, mille aureorum donum verborum officiis adjecere. Erudiendae quoque juventuti hoc anno publice lectus Franciscus Robortellus, Utini apud Forojulienses ortus, qui rhetoricae artis romanaeque antiquitatis peritia, ea aetate clarus habebatur.

Vix priori periculo defuncta civitate, eo qui sequutus est anno (1), turbarum occasio

(1) An. 1540.

ex eadem Florentinorum parte exorta. Aesaris fluminis accolae, cum saepe agri alluvionibus inundarentur, coercendo aquarum impetu, aggerem trabibus aggestuque lapidum eduxerant. quod opus Librafactenses, qui alteram ripam incolunt, tamquam sibi perniciosum, sicubi amnis excrevisset, in eorum campos aquis exundantibus, apud regulum conquesti, eum perpulere, ut ex inopinato ad bina hominum millia ad illud disturbandum immitteret. qui in hostilem modum, ferro ac igne, frugibus domibusque agrestium incensis, strage etiam arborum saeviere. cumque nostri, e vicina Nuptiani arce excussis tormentis, quosdam illorum occidissent; collectisque raptim ex urbe agroque militibus copiae undique affluerent; egregia in ripa fluminis edita pugna, hostibus retrocedere coactis, opus defensum. quae controversia illatis acceptisque invicem cladibus in quatuor annos extracta, tandem composita Joannis Lunae sententia; qui e proceribus Hispaniae florentinae arcis praesidio caesaris nomine imperabat: cum Lucensium jure cognito, eos tuendos suscepisset. quae Lucensium apud caesaris procuratores gratia, non juri aequitatique causae, sed pecuniae, qua tunc opulenta ac dives civitas erat, ab iis qui res nostras aegris oculis aspiciebant

falsa interpretatione tribuebatur (1). Diutius accensae inter Castellionenses Foxanensesque discordiae in provincia feroniensi duraverant. adeo ut per crebras velitationes supra centum homines, praeter vulneratos debilitatosque, interfecti numerarentur. eis componendis cum per plures annos frustra laboratum esset, multis legationibus ea causa Ferrariam missis: tandem sequenti anno (2) Hercule ferrariensi regulo annuente, quem jam contumaciae suorum pertaesum erat, transactum: lapidesque terminales utriusque partis assensu a Josepho Civitali, qui insignis eo tempore decempedator habebatur, statuti. tabulis etiam publicis coram Vincentio e Nobilibus, reipublicae apud regulum legato, ea de re confectis. Quare eo scrupulo sublato, caesari pontificique excipiendo vacui patres incubuere. Parabat caesar iterum in Africam trajicere, Rucursum, quam minores Algerium appellavere, Libyae urbem expugnaturus: praedonum receptum, qui Mediterraneum piraticis lembis excurrentes, omnia infesta rapinis praedisque habebant. sed antequam mare trajiceret, de summa christianae reipublicae acturus,

(1) Adriani.

(2) Ann. 1541.

quam et discordia regum, et tot de religione ab impiis hominibus turbae concitatae lacerabant, Paulum pontificem ad colloquium excivit: opportunamque utrique dilectam sibi Lucam, in quam convenirent, constituit. Ejus rei patres certiores facti VI. viros creavere, qui omnia tantis hospitibus excipiendis pro dignitate reipublicae curarent. Itaque civitate in duas partes divisa, eam quae spectat ad orientem, in qua basilica et pontificum aedes, Paulo destinavere: nobiliorum civium domibus intra eam regionem, purpuratis aliisque aulae pontificiae asseclis in hospitium designatis; quae magnifico ac splendido cultu paratae, hospitibus commoditati, urbi decori essent. At regio occidentalis in qua palatium decemvirale ac forum, caesari regio cultu ac magnificentia instructa. privatis quoque aedibus eodem luxu regulis proceribusque imperatoriae cohortis apparatis. tum curatum ut viae publicae munirentur, commeatusque, ac rerum omnium copia suppeteret. His ita constitutis, Paulus Roma terrestri itinere, ceasar Genua sexaginta longarum navium classe movit. Pontifex prior quatriduo ante urbem intravit, sexdecim purpuratis, inter quos Guidiccionus erat, stipatus: multa praeterea antistitum turba, regumque ac principum

oratoribus eum prosequentibus. caesar ad fossas papirianas (1) in lucense litus prid. Id. septembris provectus, ligneo ponte, qui CXX. pedes in mare protendebatur, exceptus est. ubi illi Lucensium legati praesto fuere. ibi tribus horis a jactatione maris quieti datis, conscenso equo iter in urbem arripuit; occurrentibus in via subinde legatis regulisque, qui ad eum salutandum ex diversis partibus venerant. Prima Hispanorum legatio fuit, quam e regni totius flore collectam, caesar summa comitate excepit. ad pagum, cui Massagrogia nomen est, Hercules Ferrariensium regulus occurrit, centum nobilium comitatu regio more cinctus: qui deinde stipatorum turbae immistus, subditis equo calcaribus per artem Cosmo Florentinorum regulo, qui Genuam caesari occurrerat, interior evasit; illo sive non sentiente, sive dissimulante. quod deinde animadversum, longarum simultatum causa extitit; cum ferrariensis, tamquam sibi loco concessum esset, id in acta referri curasset. prope Bozanum eximio formae aetatisque flore Octavius Farnesius gener, pontificisque Pauli nepos obviam factus, diu in

(1) Viareggio.

complexu illius haesit. Ad Quiesae fauces duo purpurati a pontifice missi medium illum excepere. nec reliquo itinere cessatum, aliis aliisque gentium legationibus illum adeuntibus, donec ad portam ventum est: quam nullo tormentorum strepitu, aut alio laetitiae publicae genere (sic ipse jusserat) intravit: eorumdem purpuratorum medius, ore cultuque ad maestitiam compositus. quippe Isabella conjuge paulo ante amissa, quam ob formam moresque impense dilexerat; mauroque bello quod animo agitabat defixus, tristis magnisque cogitationibus plenus cernebatur, vultu etiam, qui ad pallorem maciemque declinaret: vulgari praeterea veste, ac pene infra privatum cultum abjectus: ita ut illum quinquennio ante comparantibus, in Carolo Carolus quaereretur. Hoc modo basilicam martinianam ingressus est, ubi illum pontifex opperiebatur: qui accidentem sibi ad pedes complexu sustinuit: mutuaque salutatione perfuncti, Paulus in pontificum aedes, caesar in palatium se recepit. quater deinde ad multas horas colloquuti: ter caesare pontificem, semel pontifice caesarem adeunte, summa eorum quae maximi mortalium inter se egere, de communi sacerdotum consilio indicendo extitit: quod deinde magno chri-

stianae reipublicae bono Tridenti inchoatum absolutumque; cum per varias civitates traductum, in ea tandem constitisset; inter quas Lucam quoque a patribus expetitam, memoriae proditum est (1). verum senatus id ut famae decorisque, ita periculi plenum; objecta sterilitate soli metuque loci, ob libertatem solliciti, per Joannem Baptistam Bernardum nobilem civem, adjacensem in Corsica insula antistitem excusavit. Per hanc occasionem Lucensibus amicissimorum principum aspectu iterum frui datum est: qui hospitum suorum comitate mire laeti, summa in eos benevolentiae significatione discessere. Caesar XIV. Kal. octobris, sub noctem a pontificis colloquio digressus terrestri itinere Spediam usque, atque inde in Africam classe profectus est. ubi horribili tempestate conflictatus, coelo marique adversus eum pugnante, inglorius reverti coactus, magnis consiliis excidit. cujus cladis damna etiam Lucenses sensere; VIII. aureorum millibus in hispanum militem, qui sequenti anno in lunensi ora hibernavit, Granvellani suasu erogatis. Paulus paucis post diebus Romam se recepit, uno ex purpuratis, Sarmiento videlicet,

(1) Pallavicini l. 8. cap. 8 Hist. Conc.

Lucae amisso. cujus pontificis in D. Annae ac Leonardi fanis memoria hactenus manet, in quibus primum substitisse fama est: certisque anni diebus ob indultam ab illo noxarum veniam, ea templa adeuntium frequentia celebrantur. Soluti his curis, patres publicae rei animum adjecere. Et quoniam ea temporum conditio erat, ut acri solertique custodia tuendae libertati advigilandum esset, legatis in diversa loca sparsis, omnia principum arcana vestigabantur. Quare hoc anno ad Paulum pontificem jam Romam reversum Bernardinus Medices, et Christophorus Bernardus missi: ad Cosmum, aliis atque aliis temporibus, Silvester Trenta, Galeottus Rapondus, Vincentius Saminiatius, et Martinus Gilius Florentiam ivere. Nicolaus Guidiccionus Senas, inde Florentiam destinatus. litibus etiam dirimendis inter fani Feroniae Campique majoris incolas, in locum Nicolai Orsucci lectus Jacobus Pergula, ea qua pollebat sapientia eorum municipum discordes animos pace composuit. Eo quoque anno multa ad bellicam rem spectantia patres salubriter decrevere. nam ordinati montanorum militum delectus, praefecti militares creati, lataeque leges disciplinae continendae, quae ad hanc diem manent. Obiit hoc anno insignis vir Joannes Guidiccionus sempronieusis

antistes, dum Piceni praefectum ageret: suavitate ac innocentia morum, solertia in rebus gerendis Paulo pontifici, totique aulae gratissimus. legatione ad caesarem, praefectura urbis, aliisque curationibus cum laude functus. eximia praecipue literarum ingeniique gloria, quae illum inter etruscae elegantiae principes, confessione omnium constituit. extinctus est ipso virilis aetatis robore, cum alterum et quadragesimum annum ageret, non sine veneni suspicione, quamquam falsa; in medio laudum ac honorum cursu, quos illi, et sua virtus et aliena vota destinabant. Cadaver in patriam advectum, egregiique operis sepulchro ad D. Francisci conditum. Eo qui excepit anno (1) ingentes per Italiam terremotus fuere. Etruria praecipue ea clade etiam in mediterraneis praeter morem concussa. Lucaeque, Pisis, Florentiae, Volaterrisque trepidatum: ruina templorum aedificiorumque multis mortalibus absumptis. Per initia hujus anni lis de parte phocensis lacus, quem antea possedisse totum libere Lucenses constabat, exorta: Florentinis nostros piscatu arcentibus: brevique composita. gravius periculum a domestico hoste immine-

(1) Ann 1542.

bat, nisi illud fortuna lucensis populi avertisset. Erat is Petrus Fatinellus Nicolai filius, qui vetere et clara familia ortus, a prima aetate quaestus lucrique contemptor, cui pater illum destinaverat; cupiditate famae gloriaeque amicitias principum aulasque sequi. ingenio promptus, audax, ambitiosus, inque agendis rebus callidus; blandus alloquio, demerendique amoris artifex: eximio praeterea aetatis flore, quem mixta decori majestas commendabat. manu etiam strenuus, et ob id militiae gradum adeptus, in honore apud Anguillariae comitem fuerat: perque eum caesari insinuatus, ita se in aula imperatoria gesserat, ut cum omnes coleret, ab omnibus coleretur. eo etiam gratiae potentiaeque provectus, ut respublica, si quid arduum occurreret, ejus favore uteretur. Hac secundae fortunae aura in abruptum tractus, saepe animo novissimos plebis tumultus secum reputans, tanquam promptissimum ad dominationem iter, si quis ausus esset; opprimendae patriae, tyrannidisque invadendae consilium cepit. » ea se apud magnates caesaremque ipsum gratia, ea apud » suos existimatione, ut si opportunitas accedat, quae animo agitasset, facilem exitum es» sent habitura. » ut vanis ingeniis mos est, quae maxime concupierint, prona aestimantibus. hac spe Joanne Baptista Bassicaluvo in conscien-

tiam assumpto, antea sibi familiariter cognito, destinata exequi instituit. hunc Clavari Liguriae oppido ortum, bello strenuum audacemque ad pericula, clam militibus in urbem inducendis, primoribusque patrum trucidandis lectum, spe ac promissis oneraverat, praetorii praefectum creaturum pollicitus, si res exitum habuisset. forte scelesta consilia, incertum qua ratione, ad Venetum quendam permanaverant; qui literis ad senatum datis, mitti ad se graves fidelesque viros postulavit; esse quae cum illis de summa reipublicae ageret. Patres quamquam incertae rei indicium non aspernati, propere Nicolaum Orsuccium, Bartholomaeum Arnulphinum, ac Blasium Maeum Venetias destinavere: qui cuncta ordine cognita Lucam reversi, cum ea in senatu vulgari visum non esset, ad censores detulere. Illi arcana, unde illis nomen, silentio premere assueti, primum omnium per occultos exploratores, an Bassicaluvus ex condicto in urbem veniret, rimandum censuere: inde patefactum iri, verum ne, an vanis suspicionibus ortum, delatum indicium extitisset. nec plures dies abiere, cum is in publico hospitio depraehensus, datusque in custodiam, tormentis admotis universae rei seriem aperuit: literaeque ad eum a Petro missae fidem conciliabant. Itaque cognitis quae ex eo

noscenda essent, securi percussus, constanter tamen pieque lata morte, proditionis poenas dedit. Senatus sine mora rem omnem Granvellano detulit, is caesari, caesar Fatinello manus injici, navique impositum Genuam, inde Ticinum, ac Lucam denique deducendum curavit. Nil Fatinellus adeo expetierat, quam ne vivus Lucensibus dederetur: certus afferre sibi manus, potius quam ad ludibrium suppliciumque in conspectu patriae, quam laesisset, trahi. Itaque quandiu de ea re dubitavit, pugionem secum habuit, quo ad primam tristissimi nuncii vocem se confoderet: aut si ferro mori prohiberetur, praesentissimi veneni genus paraverat, quo hausto statim extingueretur. Sed cum per Jannettinum Auriam, quem deprecatorem caesari adhibuerat, injecta spes esset Lucam non iturum, utrumque omiserat. at ubi ea fefellit, in ipso Ericis portu dejicere se in mare tentavit: caelesti potius quam humano consilio prohibitus, ne totus moreretur. quin ubi quaestioni admotus est, dum ad eludendam tormentorum vim, codicillo magicis notis carminibusque inscripto uti parat; adeo nec mens, nec verba illi constitere, ut omnia perverse pronunciaret. quae deinde ex eo cognita. quare subita consternatione oppressus, cum tormenta admoveri cerneret: nihil tormentis opus esse

ait, omnia sponte fassuro. Itaque cum et sua confessione, ac literis argueretur, praetoris sententia capitis damnatus est. quo die relatum de eo ad senatum est, Nicolaus pater jam natu grandis curia minime abstinuit; auditaque relatione, inter patrem civemque medius dixisse fertur. » ea se familia ortum, quae vi» tam ac spiritum pro patria fundere decorum » semper existimasset. proinde mirari se, quae » tam irata domui suae numina, eam mentem » filio obtulissent. si vera sint quae de illo » afferantur, novissima meritum, suoque etiam » suffragio morti adjudicari. sed in re tam » atroci ac incredibili, nullam moram nimiam » videri posse. caeterum cum nil aliud super» esset, infelicissimum patrem, se illum mise» ricordiae civium commendare. » Quae postrema verba cum obortis lacrymis, ac intercluso pene spiritu optimus senex pronunciasset, patriae pietatis species ita animos omnium perstrinxit, ut tota curia illacrymatum sit. Vicit tamen reipublicae amor, damnatusque morti est. Sed quoniam varii de eo rumores erant; quidamque eum per calumniam potentiorum oppressum criminabantur: placuit ante quam de eo supplicium sumeretur, Gerardum Macarinum ad caesarem tabulas quaestionis deferre, fidemque mendacio detrahere. nec supervacua

ea cogitatio fuerat ; nam Fatinelli nomine libellus caesari porrectus fuerat, quo ita secum actum querebatur, quod rempublicam paucorum tyrannide oppressam, vindicare molitus esset. Caesar causa cognita, secundum leges agi imperavit. Itaque III. Kal. novembris sumptum de eo publice supplicium est. Tanta animi magnitudine, tantoque cogitati sceleris dolore novissimam necessitatem excepit, ut crimine proditionis excepto, nemo non sibi tam beatam mortem optaret. dignus qui tam excelsi animi indolem, tot corporis fortunaeque egregias dotes pro patria impendisset. Creditum vulgo est, eam sustinendae mortis constantiam illi Beatae Sitae precibus impetratam; quae quondam apud majores illius servitutem servisset. Indici, Galeotto Rapondo Decemvirorum principe consulente, duo millia aureorum dono data.

Gravius aliud malum reipublicae visceribus haerebat ; impiarum nempe opinionum venenum, quod primo per Germaniam Galliamque diffusum, jam pravo nonnullorum studio serpere per animos civium coeperat. sacris etiam ejus sectae hominibus, privatis publicisque colloquiis callide pestifera semina in auditores spargentibus. eoque jam deducta res erat, ut Romae Lucensium nomen sinistra fama esset. quod cum cardinalis Guidiccionus patribus si-

gnificasset, comprehendique monachum Augustinensem ea labe infectum inficientemque pontificis nomine jussisset: Senatus avitae religionis tenax, acerrimas leges in ejus violatores tulit, hominemque comprehendi curavit. Sed cum favore quorundam, e custodia effugisset, Vincentius Castruccius, qui ejus rei auctor ferebatur, in exilium pulsus: Francisco Cattano adempti in decemnium honores; Stephanus Trenta, Hieronymus Liena et Bernardinus Marchius pecunia mulctati. eadem fama ad caesarem studio malevolorum pervenerat. quod cum per Granvellanum senatus rescisset, missi Blasius Maeus et Hieronymus Arnulphinus, qui conceptam suspicionem ex animo principis revellerent; docerentque eam culpam, in quam se publica severitas erexisset, paucorum esse, et intra paucos mansuram. haec civitati purgandae jactata. Caeterum ea pestis late per nobilium domos vagabatur; saepiusque legum severitate coercita, tamquam putre ac desperatum vulnus, secando alebatur. Praeter eum, quem dixi Augustinensem monachum per haec, proximaque his tempora Bernardinus Ochinus senensis, pro concione populum eos errores docuerat: qui asperam eorum quos cucullatos vocant disciplinam professus, magna tunc eloquentiae probitatisque opinione, per Italiam

magno civitatum ambitu expetitus, qua pollebat facundia virus occulte permiscens, animos blandiendo necabat. Erat etiam in urbe pestifer civis Petrus Vermilius, quem martyrem falso vocabulo appellitabant, inter D. Frediani sacerdotes adscriptus: quem si quis Florentinum contendat, ultro nobis eripi patiemur. hic cum altero collegarum, nobili Brixiensium Martinengorum familia, pravas opiniones serebat: clam in veterum peristyliorum recessibus coetus virorum feminarumque agendo: quo loco coenam impio Calvinianorum ritu peractam ferunt. Accessit velut cumulus, accitus graecis latinisque literis juventuti erudiendae Aonius Palearius, magni tum nominis oratoriae artis professor, ea contagione tabidus; qui teneros juvenum animos, pestilenti spiritu docendi specie corrumperet. solitus, dum larvam pietatis adhuc praeferens ad sacra pergeret, eos ad publicum errorem (ita mysterii caelestis sanctitatem per injuriam vocabat) invitare. qui tandem Romae supplicio affectus, justas quamquam seras poenas exolvit. Tot impietatis magistris in magna praesertim morum licentia, haud mirum, si religio quae vivendo contemnebatur, credendo etiam violaretur. Hoc rerum statu, ii quorum Lucenses malos esse intererat, assiduis querelis nunc pontificis maximi, nunc

caesaris aures implebant, cuncta etiam in majus attollendo: » Lucae nihil sani ac sinceri es- » se. religionem ludum jocumque haberi. » unumquemque ut arbitratu suo vivere, ita » etiam sentire. libertatem qua jam diu abu- » tantur, ejus mali causam esse. illa non ho- » minum minus, quam Dei jugum excussisse. » eodem tempore mortalium illis numinumque » obsequium rediturum ». quare nil propius factum, quam ut pontifex legato suo mandaret, ea caesari insinuari, remediumque exposci. eadem Florentinorum regulus, cui illa omnia struebantur, oratori suo imperaverat. actumque de lucensi libertate erat, ni Granvellanus caesari amicorum intimus, hac arte succurrisset. Erat Bruxellis, ubi tunc caesar morabatur, Luisius Balbanus, antiqua nobilitate, privatae rei causa. hunc ad se accitum, qua die adituri caesarem legati erant, in proximo cubiculo locat, post aulaeum quod foribus obtendebatur, ne quid eorum quae agerentur illum lateret. summa ejus colloquii fuit, ut si Lucenses in ea contumacia perstarent, libertate adempta florentinae rei accessio fierent. soluto conventu, Granvellanus Balbanum ire, quaeque audisset suis nunciare jubet: simulque quid facto opus sit, si rempublicam salvam velint, monet. Is nulla mora iter arripuit. cursuque quam ma-

xime potest citato, ac subinde equos mutans, Lucam contendit: septimoque die, ipsa hora qua senatores in curiam cogebantur pervenit. Sicut erat de via, pulvere ac sudore perfusus, cum admitti postulasset; quae audisset, quoque loco res, fortunaeque civitatis essent, exposuit. domumque se recipiens, paulo post nimia equi jactatione diffluentibus intestinis patriae caritate extinctus est: honestissima nominis sui fama civitati relicta, quam morte sua servasset. Iis auditis cum in curia tumultuatum esset, noxii, minis patrum, majorisque mali metu perterriti, sequenti nocte clam urbe excessere; Genevamque Allobrogum urbem, desertorum religionis infame asylum concessere. atque ita pessimo hominum genere, tamquam sentina exonerata civitas, praesenti periculo erepta est; cum fama ejus facti ad caesarem perlata, Lucenses absolvisset. quae partim e literarum monumentis hausta, partim a majoribus tradita, quamquam non uno tempore gesta, sub unum aspectum contuli, ne saepius ad ingrata recurrendum esset. Constat ea migratione alias nobilium familiarum amissas, alias numero diminutas: quarum posteri adhuc manent. Ad eos, aetate nostra, ubi primum lucensis antistes renunciatus est Julius Spinula magni nominis purpuratus, literas dedit, quibus eos ad vete-

rem patriam religionemque invitabat. qui cum ultra biennium tacuissent, tandem communi nomine epistolam, officii venerationisque plenissimam rescripsere: libro adjecto, quo majorum suorum consilii reddita ratione, concives suos vicissim ad sese evocabant: religionis suae capitibus italica lingua summatim propositis, quo facilius virus ab universis hauriretur: ejusque plura exempla per urbem spargenda curavere. qua fraude intellecta, libri summo studio conquisiti, delatique ad censores, ex S. C. carnificis manu publice in foro cremati: ne cuiquam eorum lectio solvendarum religionum initium esset. Sed ut in spatium redeam, eo anno quatuor judicum externorum collegium in sex annos primum creatum litibus judicandis: criminum cognitione praetori reservata. qui numerus adhuc custoditur. Eodem anno ingens locustarum vis a Gallia Cisalpina per lunensem tractum in Etruriam descendit, lucensique agro aliquandiu insedit: magno intuentium miraculo, cum quoties continenti agmine in sublime ferrentur, nubis instar solis radios occulerent; inque densae nivis morem deinde ad terram prolaberentur, venenato morsu cuncta passim urendo. quae denique in romanum agrum transgressae, diris ac execrationibus mori adactae sunt. cadavera in cumu-

los congesta ex edicto cremari jussa, ne gravitate odoris caelum corrumperent. Id prodigium sequenti anno (1) tam abrupti obstinatique imbres excepere, ut aquis obruti neque seri agri possent; quique sati jam essent, in iis humore late stagnante jactae fruges necarentur. itaque ad vota supplicationesque versa civitate, unicum praesensque malorum omnium auxilium, imago Alborum delata per urbem est: quo tempore pluviae repente suppressae, annoque constitit fides. Decessit hoc anno insignis vir Hieronymus Amadeus servorum disciplinam professus; quem summum divinarum literarum scientia ea aetas tulerat. eloquentia in concionibus ad populum mire pollens; voce ac scriptis opinionum novatae religionis perpetuus oppugnator: maxima insuper ordinis sui praefectura perfunctus. Inter primas insequentis anni (2) curas, bonis artibus alendis animi adjecti. cumque e publica majestate visum esset, ut musici aliorum principum exemplo in decemvirorum obsequium conducerentur; decem e praestantissimis lecti, Bernardino Mantuano, ac deinde Nicolao Dorato lucensi, quorum

(1) Ann. 1513.
(2) Ann. 1514.

celebre in ea arte nomen habebatur, iis praefecto. Sed temporum conditio arma magis quam cantus poscebat. quare cum in Gallia magnos belli apparatus fieri patres intelligerent; quae florentinorum exulum instinctu in Etruriam, Cosmumque verterentur, anxii, suspensique haerebant. augebant terrorem exciti a Francisco rege in auxilium barbari, qui duce Ariadeno Ahenobarbo Algerii rege adventare nunciabantur. quare senatus consulto vetitum ne quis Lucensium militiae externae nomen daret: et ad civitatis tutelam D. milites e municipiis montanis evocati, ducentis aliis externarum gentium mercede conductis. muniendae quoque urbi cura impensa: novumque murorum opus ingenti sumptu ad meridiem coeptum. pomoeriumque notabiliter aucta urbe prolatum: militaribus architectis Antonio Collensi, ac Michaele Antognolio, a regulo Urbinatium submissis. in quam molem, cum tot sumptibus publicum aerarium non sufficeret, collatio privatis indicta. vulgo plerisque, ut fit, querentibus; qui de publicis bonis malisque, tantum afficiuntur, quantum ad ipsos pervenit. caesari quoque indigenti, missis Vastio sex aureorum millibus, de publica paupertate prompte subventum: magnanimo principe Lucensium suorum amorem tanto magis agnoscente; datisque

ad senatum literis grates reddente. Senensibus quoque veteribus sociis subsidium impensum. quippe cum Ariadenus maritima senensis agri adortus, Telamonis primum, inde ultra promontorium Argentarium Herculis portu occupato, Urbetellum munitissimam arcem oppugnaret; auxilium petentibus optio data, bina ne aureorum millia, an in mille pedites menstruum stipendium mallent. Eo anno levi controversia inter Butenses Collensesque orta; dum per utriusque partis sequestres de concordia agitur, Butenses noctu Collem nec muris cinctum, et securitate pacis nihil hostile metuentem, ex improviso adhorti, aedibus incensis abductaque omnis generis praeda recessere. eaque injuria prudenter dissimulata, ne majorum quaerentibus occasio praeberetur. eodem anno Blasius Maeus supremum diem obiit: civis egregius, ac domi forisque spectatus: pluribusque ad pontifices, imperatores regesque legationibus insignis. Fine hujus anni magno christianae reipublicae bono, pax inter Carolum caesarem et Franciscum regem sancita: Lucensesque a caesare inter socios adscripti. quod cum idem caesar literis amoris benevolentiaeque plenis ad senatum significasset; gratiis illi agendis Philippus Cenamus, qui in Gallia belgica agebat, destinatus. ad regem vero in

Galliam qui ei gratularetur Franciscus Michaelius missus. Insequens annus (1) hibernis militum reipublicae incommodus extitit. quippe VI. millibus hispanorum militum per sex menses vexatus ager. qui tandem in Senensium fines transgressi, paria eis mala intulere. Multa eo anno sericae arti ac lanificio alendo constituta: aureis praecipue pannis attalico more texendis. quod opificium a Lucensibus in alias Italiae urbes profectum, nostrorum incuria jam Lucae obsolevit. Renovata quoque legum severitas in eos qui male de religione sentiebant: creatique sex viri, qui earum custodiae praeessent. cumque Petrus Ludovicus Farnesius a Paulo patre Parmaeque Placentiaeque dominatione auctus fuisset, patres Martinum Gilium ei gratulatum misere. qui ob veterem artamque reipublicae cum Farnesia familia necessitudinem, ab eo principe benigne et cum honore exceptus, domum cuncta prospera nunciavit. Eo anno Cosmus Florentinorum regulus cum uxore in urbem venit. Ferrans quoque Gonzaga inter caesarianos duces clarus, Lucensibusque amicus, una cum conjuge exceptus est; itinere quo ad regendam pro rege Siciliam proficiscebatur. dona utrique

(1) Ann. 1545.

e publico magnifice data. Pacis inter maximos reges bonum caetera Etruria sentiebat; soli Senenses civilibus discordiis inter plebem nobilitatemque agitabantur. itaque eis ad mutuam concordiam adhortandis missi Bernardinus Medices ac Hieronymus Liena, sapientiae fama tunc in republica illustres. qui cum apud infensos seditionis calamitates, pacisque bona frustra disseruissent: odiis in dies inter eos crescentibus, insanabiles deseruere. nec multo post populari factione praevalida, cum plerique optimates pulsi in exilium essent, iis malis initium factum, quibus postea libertatem remque publicam amisere. pecunia tamen iis in subsidium missa: leve ac inane auxilium cum sana consilia respuissent. Hoc anno institutum, ut Florentiae perpetuus legatus regulo adesset: cum ante id tempus, ut ratio postularet, alii atque alii mitterentur. primumque id munus Nicolao Gudicciono demandatum.

Insequens annus (1), nisi fortuna coeptis defuisset, memorabilis toti posteritati futurus erat. rem ut in tabulis quaestionis legi, aliter ab aliis traditam, cum fide memorabo. Franciscus Burlamaccus vetere nobilitate, elato in-

(1) Ann. 1546.

genio, famaeque ac gloriae cupidus, biennio ante, magnae rei, liberandae scilicet Etruriae, impetum ceperat. hic graecas Plutarchi historias saepius legendo, cum bellica gloria insignes viros, Timoleontem, Aratum, Pelopidam, Philopaemenem, aliosque cum parvis copiis multa ac praeclara gessisse secum reputaret; audendi paria cupido incessit. egregium praecipue ratus si Etruria in libertatem redacta, unius veluti reipublicae corpus constitueretur.
» ita enim a civilibus bellis perpetuum otium,
» et ab externis armis virium societate Etru-
» scos invictos fore. eam reipublicae formam
» veteres Etruriae populos olim sequutos,
» tanta imperii gloria floruisse; romanos tot
» cladibus affecisse: eorumque potentiae, qua
» deinde orbis terrarum potiti essent, praeci-
» puam moram extitisse ». Quaerenti agitantique qua ratione id effici posset, hanc illi cogitatio subjecit. rem in proclivi, scilicet, fore si praefectus montanae militiae crearetur. nam suspicioni locum minime futurum, si in urbem, obtentu eos recognoscendi lustrandique, ubi opportunum esset, milites evocasset. Mozano ad mille CCCC adfuturos. eos sub vesperam emissos ipsum subsequuturum: atque ubi se tenebrae intendissent, curatis corporibus in Julianum montem ducturum. jusso interea Cam-

pimajoris tribuno ad eam horam cum suis copiis adesse per Quiesae fauces dorsumque pisani montis, ut secum conjungeretur. ibi ducibus, quos antea sibi beneficiis conciliasset, patefacto arcano; senatus nomen ementitum, cujus auctoritate ea geri simularet, intempesta nocte ad portas Pisarum libertati acclamando affuturum. nec dubitare quin cives odio servitutis, ad eas voces veluti ab inferis excitati, secum arma opesque conjungerent. spe etiam Vincentium Podium, qui arci praesidebat, in ejus consiliis societatem trahi posse. Pisis in libertatem vindicatis, raptim Florentiam convolare meditabatur, ut inopinantem imparatumque regulum subito impetu oppримeret: aliis Pisciam Pistoriumque copiis submissis, ut diversis in locis tumultu excitato, major metus terrorque perculso incuteretur. nec dubium quin caeterae civitates sequuturae essent, exulum propinquis ad arma euntibus: auxiliaque a Senensibus affutura. Lucenses ipsos cum omnia arderent, opem laturos: ne otiosi spectatores ejus incendii viderentur, quod publico consilio minime profectum, nemini probare possent. Ea consilia, in quibus animi plurimum, nec temeritatis minus inerat, homini e plebe sibi familiari, Caesari Benedino belli artium minime ignaro, Burlamaccus aperuit: atque is Andreae

Pissino, fidum alias expertus: quae alta silentii fide (quod mutata utilitate fragilissimum vinculum est) tegerentur. sed pecunia, omnium rerum gerendarum instrumentum, deerat: cui exhibendae florentinos exules opportunos rebatur: quibus haerens alte pectori infixus libertatis amor, suasurus omnia videretur. Ex iis praecipuo in dominantes odio, Petrum Leonemque Strozas Philippi filios aggredi statuit: qui una vindicta patriam patremque ulciscerentur. nec longe petenda occasio fuit. erat forte Lucae per eos dies Massilia reversus Sebastianus Carletus popularis ordinis, qui Leonis (quem rhodiae militiae equitem, Capuae priorem appellabant) miles, eique in orientem, Turcarum classi deducendae comes fuerat. hunc Burlamaccus rei agendae natum arbitratus, cum saepius ad se vocasset, veluti bellorum regionumque quibus interfuisset noscendi avidus; ei tandem consilium communicat, eumque apud Strozam adjutorem adhibere parat. qui si vicenaquina aut tricena aureorum millia submitteret, rem confectam se existimare. nec mora Carletus Massiliam commeat, remque Strozae sicut erat exponit. Stroza quamquam difficilem exitum verebatur, tamen aviditate ultionis, et in mediceam domum ira, collaudato Burlamacchi consilio, jussit Carletum rescribere, ipsumque in proposito

confirmare; sed antequam quidquam moveretur, mutuo colloquio opus esse. Sed Stroza paulo post in Britanniam ad bellum profecto, res in reditum ejus dilata. Interim Burlamaccus plures ex pistoriensibus, florentinis, aliisque ejus imperii hominibus comitate ac beneficiis, ut se se res dedisset, sibi conciliare; ut ad noti nominis famam, deinde alacrius assurgerent. Eadem spe, quod eorum opera Senenses in societatem consilii pertrahi posse confideret, arcanum quibusdam eorum retexit, qui per civiles discordias domo pulsi, Lucae exulabant. Erant ii Marcellus Landuccius, Jo. Baptista Humidius, Ludovicus Sergardus, et M. Antonius Vecchius, qui senensis tumultus principes extiterant, pulsique in exilium jussu caesaris fuerant. his cum se se Burlamaccus insinuasset; alios atque alios familiariter serendo sermones, quae animo agitaret, aperuit. Humidius consilium ut praeceps, remque aleae periculique plenam, nec exitum habituram aspernari: veterumque exemplis haud multum credendum dicere. » quippe simul cum temporibus rerum » statum commutari; aliosque mores, alia con- » silia, alias aetates afferre. nec si priscis saecu- » lis etrusca res ea ratione viguerit, eum nunc » animorum habitum esse, ut ex tot populis » unum corpus facile coalesceret. majora

» ipsum animo agitare, quam caperet: idque » incoeptum regum caesarumque, nedum privati » hominis fortuna majus esse. cogitationes sibi » quemque facile fingere: quoniam animus vo- » lucer ac sequax est, et quocumque velis, nul- » lo negocio ducitur. at ubi in rem ventum est, » tunc earum fallaciam apparere. neminem, pu- » gnando secum, vinci. hostem et aciem virum » arguere ». neque ideo Burlamaccus propositum omittebat: alendo furori saepe inter amicos quasi per jocum jactare solitus, quam egregium foret, si etrusca res una ex pluribus fieret. Cosmum unum obstare, cui Florentia in libertatem asserta, censum XX. millium aureorum in neapolitano regno, solatium amissae dominationis dari posse. quae vulgo ut inania accipiebantur, nec ultra linguae temeritatem processura. Per haec Carletus e Britannia Lucam reversus, cum Strozam propediem Venetiis futurum renunciasset, opportunum gerendae rei tempus ratus, quod jam uti concupierat, praefectus militum creatus esset, simulato in aliam itinere, Venctias profectus est. ibi cum Priore collocutus, expositaque illi consilii sui ratione, verba ac spem pro re tulit. quippe ab eo incepto perseverare jussus: ac ubi articulum adesse cerneret, ipsum certiorem facere, pecunia ac alia ope non defuturum. ab eo colloquio

Burlamaccus Lucam reversus, paulo post Caesarem Benedinum Venetias misit, qui tempus advenisse nunciaret, et si ultra morentur, abiturum. se proxima in Kal. julias decemvirorum sortitione facile exiturum. duos interim menses bello utiles amitti. nec confidere tantae rei secretum tamdiu suppressum ultra duraturum. Stroza absentiam Petri fratris, pecuniaeque inopiam causatus, sibi maturam rem adhuc minime videri pronunciat. cumque hoc responso Benedinum dimittit. Interim Kal. juliae advenere, quibus Burlamaccus, cum proxima sortitione, uti pertimuerat, decemvir exisset, palatium ingressus est; in locum demortui Balthassaris Montecatini collegii princeps II. lectus. in eo magistratu, mortuis cujusdam divitis puellae parentibus, quam duo ex propinquis alendam intra suam quisque domum ambiret; Burlamaccus quantum mali ab eo sibi instare posset ignarus, contra Andream Pissinum e competitoribus alterum litem dedit. is injuria accensus, principis atque amici proditor, parata ultione uti decrevit. quare Florentiam profectus universa Cosmo detulit, a quo liberaliter habitus donisque auctus, et ne qua illi fraus fieret apud se retentus. Benedinus, ubi Andream non apparere, Florentiamque profectum intellexit, conscientia id quod erat admonitus, principem

adit, seque multum incusans, qui infido homini arcanum credidisset, detectos se proditosque affirmat. Burlamaccus improviso nuncio attonitus, quod unicum vitae suae praesidium erat, fuga sibi consulere statuit. sed publicae majestatis persona ei consilio obstabat; cum tot fallendi essent, qui eum magistratum observant. Sed ingenium a timore mutuatus, Benedinum vergente die porta D. Petri exire jubet, seque ibi expectare. ipse accensum ad se vocat, edicitque pro imperio ne ea porta nisi sub noctem clauderetur. perque eundem praefecto, qui portae praesidebat, significari jubet, ut si primis tenebris quendam obvoluto capite exire vidisset, transitu minime prohiberet: id imperio suo censorumque fieri, atque ita e republica esse. Interim accitum Humidium quo loco fortunae suae sint docet: simulque epistolam ostendit, qua senensium exulum innocentiam testabatur. se fugae certum, eam in cubiculo relicturum confirmat, ne sua stultitia fraudi illi esset. Humidius sibi sociisque metuens, omnia ad Bonaventuram Barilium senatui a secretis defert: cum quo in palatium reversus, Burlamacco jam occulte domum ut fugam adornaret digresso, eadem decemviris, temeritatem hominis non satis mirantibus, narrat. Inter haec Burlamaccus ad portam pervenerat. sed ut caelesti providen-

tiae visum, quae innoxiae civitati, et si is incolumis evasisset magnis difficultatibus involvendae consulebat; Baccius id accenso nomen erat, imperium principis perverse acceptum, eodem errore ad praefectum detulit. quare cum ignotus ille obvoluto capite ad portam venisset, prohibitus aditu repulsusque est. hac spe miser dejectus, domum rediit, quo accitis Petro et Nicolao Burlamacchis, una cum Ludovico, qui se illi per viam comitem dederat, calamitatem suam aperit; stultitiam ejus multum incusantibus, qui eo facto se, familiam remque ipsam publicam perditum isset. nec multo post a decemviris nuncii affuere, qui illum in palatium evocarent. eo progressus rogatusque vera ne essent, quae de eo narrarentur, cuncta ordine fassus, ea nocte acri custodia in conclavi servatus, donec de eo senatus consuleretur. qui postero die in curiam vocatus, turri claudendum decrevit; amoto ferro ne saevire in se posset: jussoque lictore, qui ejus custodiae appositus est, omnem cibum a propinquis missum, tamquam veneni suspectum rejicere: VI. viris creatis, qui una cum praetore, caeterisque judicibus quaestioni interessent. Legatis interim in Hispaniam ad caesarem, Mediolanumque ad Ferrantem Gonzagam missis, qui facti seriem, simulque vanum ventosumque ho-

minis ingenium docerent. Florentiam quoque Gerardus Macarinus destinatus, qui moerorem civitatis familiaeque, ad quas temerarii hominis noxa nihil pertineret, regulo testaretur. Caeterum Cosmus, veritus ne id consilium a principe reipublicae, eodemque praefecto militari, non de nihilo initum esset: neve ea res latius quam pro opinione pervagata ad multo plures pertineret; Lucam Angelo Nicolino ad senatum misso, Burlamaccum habendis de eo quaestionibus postulavit: fide data vivum se atque incolumem remissurum. quippe ea dignitate praeditum, et apud suos, difficile ad veri confessionem adigi posse. Responsum legato, Burlamaccum caesaris nomine vinctum teneri, nec injussu illius cuiquam dedi posse. caeterum ne qua fraudis, occultandique veri suspicio anxium haberet; passuros se a judicibus suis, coram quaesitore, quem ipse misisset, nullo cive praesente, interrogari. Sed Cosmus eum sibi dedi obstinate contendebat. quare patres intellecto id agi, ut aut tormentorum impatientia, aut spe impunitatis, ad innoxiam rempublicam inquinandam induceretur; aliis super alios nunciis ad caesarem ejusque in Italia procuratores eam contumeliam periculumque deprecati; qua etiam apud Granvellanum pollebant gratia, tandem pervicere, ut

Mediolano Nicolaus Bellonius ad quaestiones de eo habendas mitteretur : qui ab eo interrogatus, acerbeque etiam admoto igne tortus, ut conscios ederet, neminem praeter eos de quibus dictum est, nominavit. causamque, quae illum ad eam insaniam impulisset rogatus; nullam aliam reddidit, nisi ut finitis discordiis, sancte a populis ageretur. Quare quaesitor Mediolanum reversus, mortis reum pronunciavit. Sed cum Burlamacchi, senatus permissu, Hieronymum Lucchesinum affinem, primo Florentiam, inde Mediolanum, novissime ad caesarem deprecatum misissent; ut vanitate potius amentiaque, quam malignitate lapso mors remitteretur; caesar assensus est, si id ratum Cosmus habuisset. isque ea lege vitam concessit, ut sibi custodiendus traderetur. quod beneficium tamquam insidiosum, cum senatus ipsique gentiles, amore patriae aspernati essent, Franciscus caesaris jussu Mediolanum in arcem abductus est. ubi aliquandiu honesta custodia habitus, demum biennio post securi percussus, magni sed infelicis conatus poenas dedit; suppliciоque suo rempublicam absolvit; et ne qua macula civitati e Burlamacchi crimine haereret, curatum ut per cives qui variis in locis sparsi erant, fama inimicorum malignitate vulgata ad liquidum perduceretur. Vincentio Parensio,

qui Romae erat, imperatum ut pontifici maximo aulaeque romanae rempublicam purgaret. idem apud tridentinos patres antistes Bernardus facere jussus. Bononiensibus eorumque praefecto per Vincentium e Nobilibus, qui in ea urbe praeturam gerebat : ferrariensi regulo per Caesarem ex eadem familia, qui illi a secretis erat, satisfactum. neapolitanum proregem Sebastianus Puccinus: mantuanum regulum Hieronymus Medices illius civitatis praefectus, publico nomine errare passus non est. Nicolaus Orsuccius Senensibus, apud quos caesaris jussu ducatum gerebat, omnem suspicionem detraxit. eademque causa Bernardinus Medices Genuam missus. Tanti patres bonam existimationem, ne ei culpae affines viderentur, fecere. Eo anno Franciscus Riarius civitatis antistes extinctus est: cui, perlatis ad pontificem Paulum patriae votis, cardinalis Guidiccionius successor datus.

Dum Lucensium libertas per calumniam periclitatur, Genuenses proditione pene in servitutem redacti. nam sequenti anno (1) Joannes Luisius Flisca gente ortus, Gallorum instinctu, per conjurationem nocturno tumultu excitato, Jannettino Auria occiso, portu et classe per

(1) Ann. 1547.

vim occupatis, in extremum periculum eam rempublicam adduxerat; nisi in ipso gerendae rei momento, dum in praetoriam triremem transgreditur, una cum ponte praecipitatus demersusque, vitam simul ac proditionem finisset. Nec qui occidendi Auriae, conjurandique in patriam Flisco inter caeteros auctor extitisse dicebatur Petrus Ludovicus Farnesius Parmae regulus, diuturnum sceleris sui gaudium tulit. quippe hoc eodem anno conjuratione nobilium, quos pravis moribus, et praecipue libidine irritaverat, Placentiae interfectus est. corpore multis vulneribus lacerato, ac in fossam arcis projecto; cum per ludibrium pedibus suspensum, laetum populo spectaculum aliquandiu pependisset. Foedum illustrium virorum mortibus annum, duorum insuper magnorum regum funera incestarunt. prior Henricus Britanniae rex extinctus est, quantum antea defensa insignis, tantundem post deserta ac prodita religione infamis. impotenti libidine omnium malorum auctor, quae postmodum infelici regno evenere. proxime illum consequutus est Franciscus rex, maximis non Galliae modo, sed etiam gentium omnium regibus annumerandus. uni Carolo fortuna impar, virtute aequaverat. Successit illi Henricus filius, fato patris infelix: quod etiam in ejus liberos propagatum, quorum

tres magnis calamitatibus impliciti regnarunt. quod merito iis factum, turbata Francisci ambitione tandiu christiana re, ac barbaris in auxilium vocatis, sapientes aestimavere. Nihil memorabile hoc anno reipublice contigit; nisi quod Gerardus Macarinus in Germaniam agendae Burlamacchi causae missus, dum a legatione sua revertitur, a latronibus caesus, in ministerio patriae honeste expiravit. ejus mors civitati gravis accidit: fuerat enim insigni sapientia prudentiaque: ob eamque multis negociis, muneribusque a senatu adhibitus. Patres grato in ejus memoriam animo ducentos aureos in singulas ejus filias, ubi elocarentur, subsidium dotis decrevere. Is qui sequutus est annus, (1) legationes in diversa loca mittendo consumptus. ivere in Galliam ad novum regem Matthaeus Gilius, et Bernardinus Medices; Mediolanum Hieronymus Arnulphinus, ac idem Medices; Florentiam Balthassar Antelminellus, ac Gerardus Pinitesius profecti. Michael Angelus Bertolinius ac Antelminellus iterum Mediolanum; Dinus Sardinus Genuam; Libertas Moriconius in Allobroges, ac deinde ad Ferrantem Gonzagam destinatus. in Hispaniam ad Philippum Caroli

(1) Ann. 1548.

filium Dominicus Sandonninus et Christophorus Bernardus perrexere. Hieronymus Nucchellus Romam ad caesaris procuratorem ire jussus. tanta animi intentione tunc reipublicae incumbebatur. magnis illis ac sapientibus viris agnoscentibus, quantum boni libertas sit; quam stulti imperitique rerum, tunc demum intelligunt cum amisere. Eo, qui sequutus est anno (1), ingentem luctum de cardinalis Guidiccioni morte civitas cepit. quippe in eo, maximo patriae, purpurae, totiusque christianae reipublicae lumine extincto. ea virtutis meritorumque fama, ut ad illius mortis nuncium pontifex Paulus successorem suum perisse professus sit. multa ingenii doctrinaeque monumenta reliquit, humanarum divinarumque legum, quarum consultissimus fuit, codices annotando, quae XX. ingentibus voluminibus comprehensa, in vaticana biblioteca servantur. Transtulerat jam ante in Alexandrum Nicolai fratris filium lucense sacerdotium; innocentia ac gravitate morum, caeterisque virtutibus quae illum ordinem decent, eo honore dignissimum. quem proximo anno in civitatem venientem, patres solemni pompa excepere. rebus ante pro-

---

(1) Ann. 1549.

visis, ne ut in aditione Riarii, tumultus aliquis oriretur. eodem anno leges in religionis desertores renovatae. cui malo coercendo, et insita pietate, et reipublicae cura patres acerrime incumbebant. Fine anni pontifex Paulus decessit, cum, fama gloriaque ingenti, summum sacerdotium ultra quindecim annos tenuisset. in quo Lucenses et publicum patrem, et fidelem amicum amisere. cui post trium mensium interregnum Julius III. suffectus est, cum jam insequens annus (1) saeculari religione celebris inisset. Ad eum salutandum patres de more Bernardinum Medicem, Franciscum Carincionum, et Bartholomaeum Arnulphinum misere. qui benigne a Julio suscepti; injecta etiam grata eorum mentione, quae Lucenses comiter humaneque in illum fecissent. addiditque se non modo ut etruscum, ejusdem provinciae homines diligere, sed ea potissimum causa, quod tanta sapientia uni fere Tuscorum inter tot rerum conversiones libertatem servassent. Hoc anno cum agrestium insolentia eo crevisset, ut nec vineis nec hortis frugibusque, ac domibus etiam parceretur, praedisque ac furtis omnia infesta essent: placuit illis domandis prafectum creari, qui extra ur-

(1) Ann. 1550.

bem intra sex mille passus severe jus diceret. primus ad id munus Balthassar Antelminellus prisca gravitate lectus. hominesque improbi ut insuetum carcerem lictoresque, minisque ac jure agentem novam potestatem videre, ad bonam frugem reversi, poenitentiam quam poenam maluerunt. quae praefectura in tres aetate nostra divisa: altero Computum, altero Nuptianum, quo antiquitus praetor mittebatur, destinato. tertio e Viti fano Capannulas ire jusso, ut eum populum contumacem parendique nescium, propinquo terrore in officio contineret. Lites quoque inter Fiumalbenses Corelliensesque alpium incolas: nec non inter Pomezanos et Oasulenses exortae erant. nec quae jam dudum inter Pontitum Lanceolamque, oppida ad fines Pistorientium exarserant, plane extinctae. quare his finiendis Joannes Tegrimus: illis Nicolaus Liena, Nicolausque Burlamaccus lecti. Non modica etiam inter novum antistitem civesque discordiarum semina hoc anno erupere. cum corrupti mores ac foedata religio aspera remedia poscerent, morbosique ac tabidi vix lenem curationem paterentur: lectique calentibus animis IX viri qui ei negocio praeessent. Eodem anno civis creatus est, clarus ea aetate militari gloria, amicusque reipublicae Ferrans Gonzaga, una cum universa posteritate.

quem eo honore laetatum admodum ferunt. nec minus laxamenti civitati ex Vincentii Podii morte datum: qui patriae quoad vixit infensus, hoc demum anno Arretii extinctus est. toties ad necem frustra quaesitus: XXX aureorum millibus in eam rem profusis; dum triumviri illi insidiantur. vir alias strenuus ac bellica virtute insignis, si tueri patriam, quam oppugnare maluisset.

Gravia ex Julii pontificis Octaviique Parmae reguli dissidio, Italiae mala insequenti anno (1) parabantur. quare Galliae cisalpinae Etruriaeque turbatis rebus, Lucenses quoque in metu agebant. Igitur intenta cura patres publicae custodiae advigilabant: missis in diversa loca nunciis omnium rumorum auras captantes. ivere quoque Genuam Hieronymus Lucchesinus, et Ludovicus Mansius ad Philippum Hispaniarum principem, Augusta Vindelicorum in Hispaniam revertentem: Libertasque Moriconus publico nomine reginam Boemiae salutavit. Justitium quoque indictum, ut saecularis anni religioni, quam Julius pontifex Romae jàm exactam, aliis provinciis indulserat, otioso animo vacaretur. cumque libelli famosi passim proponerentur, in

(1) Ann. 1551.

eorum auctores severae leges latae. Celebris iis temporibus negotiatorum lucensium, ut industria, ita fides tota Europa erat, quare ei retinendae, cum insequenti anno (1), et ruina externorum, et domestico luxu, quo sumptuosa civitas erat, multi impeditis solutionibus concidissent: senatus acri cura incubuit, ut integre creditoribus satisfieret. qua occasione sapienter in senatu jactatum est, praestare tridui populationem quam fidei jacturam. quare nonnulli ad ultimam inopiam redacti. nondum infami arte inventa per decoctiones fraudesque ditescendi. qua calamitate agrorum pretium imminutum, quintaque parte vilius factum. quod contra aetate nostra accidit, qua fide amissa, dum pecunias negotiatoribus quisque credere metuit, multitudine emptorum praediis aestimatio accessit. Eodem anno motae in Etruria res, Senensium post diuturna in se odia civilesque discordias ab imperii romani fide recessu: Gallis ejurata caesaris clientela in reipublicae patronos adscitis, pulso Hispanorum praesidio, diruta arce tamquam auctoramento servitutis. quae res, ut Lucensibus metu novarum rerum sollicitudinem, ita ipsis asperum ac

(1) Ann. 1552.

diuturnum bellum, arctam obsidionem, ac denique reipublicae libertatisque exitium attulit. quippe caesar injuria, ut par erat accensus, insequenti anno (1) Petrum Toletum cum exercitu eorum contumaciae frangendae ire jussit. quo in ipso Etruriae ingressu, itineris labore, ac novitate caeli, senio insuper urgente extincto, dilatum bellum magis quam omissum. nam paulo post Joanne Jacobo Mediceo, quem Mariniani dynastam ac Medicinum appellabant, misso, bellum de integro susceptum: Cosmo Florentinorum regulo, cui illius urbis imperium cessit, totis viribus juvante. quare Senenses, ab Hispanis quos irritaverant oppugnati, a Gallis, quos praetulerant deserti, fortiter undecim mensium obsidione tolerata, ad ultimam famem redacti, ut dictum est, rempublicam libertatemque amisere. Ejus belli occasione, itineribus, stativisque externorum militum, aut contra aut pro Senesibus adventantium: nec non tot hominum millibus parandis commeatibus, praeter assiduum metum, incommodum acceptum. sed nulla major incessit cura, quam ubi nunciatum est, Petrum Strozam cum XVI peditum millibus ac MD equitibus adven-

(1) Ann. 1553.

tare (1). Erat in eo exercitu inter praefectos Nicolaus Franciottus, patricia familia; quem Stroza ut civem majus momentum apud suos facturum, legatum senatui misit, qui nunciaret pacatum se atque amicum Lucensibus venire; nec aliud petere quam ut tutus ei per agrum transitus esset, commeatusque empturo praeberentur. Patres consilio habito responsum ita temperavere, ut neque concessus, neque negatus transitus videri posset. cum alterum caesaris reverentia, alterum praesentium armorum terror vetaret. Instabat tamen Franciottus, ducis in Lucenses benevolum animum gratiamque, qua apud regem polleret verbis attollendo. ejus orationis exitus eo spectabat, ut senatus mutata fide, Senensium exemplo Gallos patronos ascisceret. » Henricum regem juventa ac ro-
» bore validum, ingentis animi consiliique,
» et proculdubio eo bello superiorem futurum.
» apud quem, si ducem ipsius comiter accipien-
» do juvandoque, gratiam inissent, felicem
» beatamque rempublicam essent habituri. for-
» tunam aliquando sui poenitentiam capere:
» saepiusque novos quam veteres regum respi-
» cere. ipsum caesarem, quem colant, documen-

(1) Ann. 1554.

» to esse, tanta fortunae proditione in Africa » desertum afflictumque: ut de tot triremium » naviumque classe, vix paucarum quassatas » reliquias, ventorum tempestatumque ludi- » brio subduxerit. eadem fata illum in terram » sequutura: nec felicitatem ibi stare unquam » unde ruere coeperit. » haec legatus; simulque spem ac metum ostentando, patrum animos in omnem partem versare. Sed sapientia senatus, ac inveterata et invicta adversus imperium romanum fides, in suscepto consilio mentes omnium tenuit: nec ultra quicquam legati preces impetravere. quin eo digresso, nuncius equo statim impositus, qui quam citissime haec regulo Florentiam nunciaret, ne incautus imparatusque opprimeretur. simul cohortes militum ex agro in praesidium urbis accitae, spectatae virtutis praefectis Thoma Cosentino, Joanne Paulo Castello, ac Janetto Corso imperium illarum impositis. vigiliae quoque ac stationes diu noctuque intenta cura agebantur: vexillariis regionum cum suis populis in promptu esse ad omne imperium jussis; ut si agrum non possent, urbem saltem tuerentur. utque res acrius celeriusque accurrerentur, IX viris summa belli potestas data. Dum haec aguntur, interim Stroza e pisano agro quem populabundus excurrerat, Arno trajecto, Lucensium

fines intraverat. cujus adventu duplicatus terror, cum praecipue recisis modo frugibus, congesti manipuli, totiusque anni spes adhuc in agris esset. par obvia militibus praeda, quam vel secum auferrent, vel incendio corrumperent. Occurrere advenienti Christophorus Trenta, ac Petrus Serantonius, qui Lucensium res illi commendarent: quos bonum animum habere jussos, amicumque se venire professus, in urbem remisit. et quidem magnus ille vir, dignus aut meliore causa, aut meliore fortuna, tanta modestia exercitum continuit, ut nullus ne verbo quidem, ne dum facto violatus sit. commeatus large ac liberaliter praebiti, tanta securitate, ut feminae quoque tamquam in urbe, meare tuto inter armatos possent. Stroza praeter muros urbis traducto exercitu, ad pontem Esari impositum sexto ab urbe lapide, sub ipsis Apennini radicibus consedit. quod ubi Marinianus cognovit obviam illi progressus cum lecta Hispanorum Italorumque manu, circa Naevulam amnem, regionemque illi adjectam castra posuit. ad eum uti caesaris ducem commeatuum omnis generis copia abunde submissa. eadem liberalitate Joanni Lunae commeatus praebiti, qui cum quinque millibus peditum, mille equitibus maritimam Lucensium oram ingressus, Pisas contendit: veritus ne Stroza, qui adhuc Moriani stativa habebat, in eam urbem

impetum faceret. Sed licet tam caesariani quam galli duces a republica benigne comiterque habiti, eam fovendo officiis certarent; tamen triginta peditum, decem equitum millibus, ex tot diversarum gentium colluvione collectis, intra vigesimum lapidem stativa habentibus, magno metu patres agebant. nec minore cura pro lucensi re Cosmus angebatur, metuens ne galli duces eam urbem aggrederentur. qua si potiri eos contigisset, senense bellum profligatum, suamque fortunam in praecipiti cernebat. Itaque et crebris literis, missoque legato qui in urbe assiduus esset, patres in fide ac obsequio caesaris confirmabat. idem uxor, fraterque uxoris Franciscus Toletus praestabant: ea praecipue fama solliciti, qua Senensium exemplum sequuturos Lucenses falso jactatum erat. eique rumori apud vulgus fidem conciliabat, quod lucensium iuvenum nonnulli gloriae cupidine, privato consilio in exercitu Strozae nomina dedissent. cum tamen multo plures in cohortes distributi in exercitu caesaris militarent, ducibus Antonio Guidicciono, Sebastiano Gilio, ac Nicolao Bernardo: quibus se comitem dederat Bartholomaeus Civitalis fabrum praefectus. Sed quamquam vetitum nemini esset apud quemcumque partium ducem stipendia privatim facere; tamen querelarum causis praecidendis

significatum iis, qui in Gallorum exercitu militabant, id senatui non placere. digressoque paulo post e Moriani castris Stroza, ubi Rhaetorum auxilia, duo millia peditum, equites mille et quingenti, per summum alpium jugum, quas Peregrini vocant, in Etruriam transgressi se illi conjunxerant, ad eum transeundi finis factus. Agebat eo tempore ut supra memoratum est, in locis circa Naevulam amnem Marinianus, qui ad famam Strozae adventantis, multitudine hostium minime comperta, usque adeo non pertimuerat, ut etiam cum Joanne Tegrimo quem una cum Dominico Sandonnino legatum ad eum patres miserant, veluti per summum otium, sermones de rebus ludicris misceret. Sed cum Tegrimus trepidis nunciis admonitus, jam hostes ingenti peditum equitumque numero adesse, illum periculi certiorem fecisset, cessantem perpulit ut raptim convulsis signis, ad occupandas Serrae fauces, unde in agrum pistoriensem angusti aditus, retro concederet. missis interea hostibus obviam Hispanorum manipulis, ad colles quos feminarum vocant; qui dum se cum caeteris copiis reciperet, eorum impetum sustentarent; celeritatisque pretium fuit. quippe mox superveniente hostium equitatu Hispanis fusis, magnaque ex parte caesis, haud dubium quin dux ipse in manus hostium ven-

turus fuerit, nisi egregia lucensis legati fide admonitus se subduxisset. qua victoria Stroza liberum spatium nactus, Pistorio occupato, Florentiam usque signa ferre poterat, patrisque manes libertatemque patriae, quod adeo concupierat, ulcisci. Dum ad Senas bellatur, Philippus Caesaris filius cum Maria Britannorum regina matrimonium inierat. unica spes, florentissimum regnum in antiquae religionis splendorem revocandi, si irata illi genti numina sivissent. Patres tam regio juveni, quam reginae sponsae eam felicitatem, per cives qui in utroque regno erant gratulati, nuptialia dona misere. Insequenti anno (1) regum bello in subalpinis praecipue Italia vexata. in Etruria vero Senentium deditione ab armis quietum. quippe memorabili ad Lucinianum gallici exercitus clade, discordibus inter se civium animis, dum alii dedere urbem, alii tueri volunt; universo agro direpto incensoque, agrestium fuga aut caede deserto, incolis saeva fame ad infelicia alimenta jumentorumque carnes compulsis; perditis desperatisque rebus, tandem florentino regulo caesaris nomine, se suaque certis legibus permisere. a quo benigne excepti, osten-

(1) Ann. 1555.

tatione clementiae civibus, quos discordia aut bellum sparserat, revocatis; nulli, qui petisset, venia ac pace negata; reductaque in primis justitia, quae per annos complures seditione civium exulaverat. ita ut libertate excepta, Senensium vinci interfuerit; hoc caesari Carolo extremum fere principalium operum fuit. Siquidem VIII. Kal. nov. hujus anni, rerum humanarum jam diu pertaesus, corpore non tam annis quam laboribus bellisque fracto, cum se publicis muneribus parum aptum judicaret, Bruxellis in conventu procerum regna in Philippum filium, ac paulo post imperium in Ferdinandum fratrem, quem antea Romanorum regem legi curaverat, transtulit. magna orbis admiratione, imperatorem regemque omnis aevi maximum, post tot bella terra marique gesta, post tot insignes victorias, privatum coactumque in ordinem sponte, visuri. certe memoriae proditum est, dum magnus ille princeps, augustum regemque exueret, novitate simul ac magnitudine facti motis animis, neminem adstantium lacrymas tenuisse. Turbavit ea res non parum Lucenses, qui in Carolo publicum patriae parentem amittebant. sed omnem metuendi causam novus imperator ac rex, eodem quo ille in rempublicam fuerat amore, ademit. Quietam belli armorumque suspicioni-

bus civitatem, iterum exortae inter Alexandrum antistitem patresque simultates exercebant. eo usque animorum contentione progressa, ut Alexander purgandi sui causa Romam ire coactus sit. Sed quod disceptando altercandoque dissidium finiri minime potuerat, antistitis modestia composuit: datis ad senatum humanissimis literis, quibus orabat, ut cum ipse patris, cives benevolentiam caritatemque liberorum reciperent. quare praeteritorum memoria prorsus obliterata, reducem, ut reipublicae parentem universi excepere: cum eum virtus, et sanctitas morum venerabilem faceret. Hoc anno Julius pontifex ex humanis excessit: cui Marcellus II suffectus est; quem haud ultra sinendum, fata terris tantum monstravere, intra paucos dies publico dolore extinctum. Successit illi Paulus IV vir prisca sanctimonia, sed nimia severitate ac propinquorum superbia tantum odii adeptus, quantum venerationis sanctis moribus meruerat. Inter alios cives per ea tempora bellum sequutos, Ventura Amerinus extitit; qui militari robore strenuus, omnibus pene magnis ejus aetatis praeliis interfuerat. unaque virtute e gregario milite ad tribunatum, altioremque ordinem provectus, magnis italicorum peditum copiis in Gallia belgica ac subalpinis praefuerat. sed gloria famaque quam pecunia

ditior in patriam reversus, honestum senectuti locum invenit. quippe respublica fortem virum complexa formentariae rei praefecit: mortuumque publico funere ad D. Paulini extulit: sepulchro etiam trophaeis vexillisque, militaris virtutis testimonium ornato. Memorabilis insequens annus (1) extitit, lege martiniana verso reipublicae statu, translataque a populo ad patres summa potestate: plebe nil ultra verba et atroces querelas ausa, cui ea rogatione rerum arbitrium adimebatur. quod ante quam narrare incipiam, pauca altius repetenda sunt. Primum omnium satis constat omnes Etruriae civitates, exemplo veterum rerumpublicarum, populi imperio administratas fuisse: ita comparata ratione, ut quicumque in civium, iidem in numero dominorum essent. aequato jure plebis ac nobilitatis, quod retinendae libertati firmissimum vinculum est; dum nemo rempublicam respicit ut alienam. Ita in Graecia Atheniensium civitas, quae late quondam terra marique imperium tenuit: ita Carthaginensium in Africa; ita in Italia romana urbs maximae, pulcherrimaeque post homines natos reipublicae caput, dominatu populi floruit. Tamen, quod antiquis illis exitiosum fuit, concilium nempe universi

(1) Ann. 1556.

populi, tamquam tumultuosum, et magnis motibus obnoxium, sapienter admodum majores nostri evitarunt; ita temperatis rebus, ut et imperium penes populum esset, et incommoda multitudinis imperitae, impetu potius quam consilio omnia agentis caverentur: lectis certo numero, ex omni corpore civitatis, qui alternis vicibus, senatus nomine, rempublicam administrarent. Quin optima ratione si quem opibus, aut insigni aliqua virtute praestare intelligerent, ultro eis civitatem dando alliciebant, ut divitias artesque ad se conferrent. satis gnari urbem non alia ratione florere posse, quam si multitudine redundaret, quae arte ac industria eam beatam ac opulentam redderet; et quoniam civitas neque magni imperii caput, neque ad mare sita, neque bonitate agrorum, aut alia opportunitate frequentiam invitaret, nullam aliam viam multitudinem parandi aut retinendi, quam aequabilitatem juris, qua tam veteres quam novi cives aliquam partem reipublicae attingerent. Ad hunc modum Luca, plurium annorum spatio ante quam crudelem ac superbum Pisanorum dominatum experiretur; et post receptam libertatem per annos CLXVI administrata fuerat. Et quamquam post Pauli Guinisii dominationem res paulatim a plebe ad nobi-

litatem non obscure traduceretur, tamen nihil hactenus publice sancitum erat, quo novis hominibus aditus ad rempublicam intercluderetur. et patres comiter agendo, unumque aut alterum magistratibus inserendo, ea spe detinebant plebem, ut quod nonnullis dabatur, omnes adipisci posse sibi viderentur. et populus majestatem suam crevisse censebat, si aliquando aliquis tenuiorum magnis nominibus immisceretur; magisque eo laetabatur, quam si sordidis hominibus passim admissis dignitas vulgaretur. Etenim cum res in tranquillo sunt, nec factionibus aut odiis civitates perturbantur, etiam plebeii intelligunt, melius patriciis mandari honores; qui ut gerentium nobilitate auctoritatem acquirunt, ita obscuritate eis vis ac majestas adimitur. et ut in contentionibus populus juris sui tenax est, ita, nisi contra obsistas, ad verecundiam et modestiam inclinat, et securus contemptus libentius tradit imperium, quam accipit. Hic igitur rerum status erat, et civitas superiorum annorum tumulto extincto, multitudine, artibus ac divitiis florebat: cum quidam ex patriciis, insita nobilitati superbia, novos cives infensi aspicere, tamquam ipsi avita possessione pellerentur. jactabant in conventibus: » indi-
» screta colluvione honores pollui, antiquos

» cives arceri a republica, magistratibus dejici, » omnia municipalium, omnia advenarum esse; » et Lucae nullos minus dominari quam Lucen- » ses». qui rumores, diu per decemviros dissimulati, tamquam ambitiosi potius quam aut veri aut reipublicae salutares, tandem faciles aures invenerunt. Inierant novissimis mensibus anni MDLVI. magistratum decemviri principe Martino Bernardinio, viro sanguinis claritudine, prudentia ac magnitudine animi summae auctoritatis. Is rem sibi gloriosam, nobilitati gratam facturum arbitratus, vocato senatu, de summa reipublicae se relaturum professus, solvi legibus petiit, quibus de mutando civitatis statu, aut forma dominationis agere vetabatur. facto igitur in eam rem senatusconsulto, in hunc modum exorsus est. » Non ita rerum » ignarus sum, patres conscripti, hac aetate, » his honoribus beneficio vestro jam bis per- » functus, ut minime sciam semper periculose » fundamenta imperiorum moveri: nec quic- » quam minus expedire, quam eas leges, eos » mores tentare, quibus jam pluribus saeculis » respublicae nitantur. Verum et ipsae quan- „ do primum latae sunt novae erant; et expe- „ riendo in hanc auctoritatem venerunt. Quare „ haud dubitare debemus, si quid patriae sa- „ lutare occurrat in medium conferre, et lege

„ etiam decernere; nec speciosum antiquitatis „ nomen ita vereri, ut, si quod a majoribus „ salubriter sancitum est, tempore in perni- „ ciem vertit, stare potius reipublicae damno, „ quia vetus est, quam immutari ejusdem bono „ ob novitatis invidiam patiamur. Mortalium „ res mutationibus obnoxiae sunt; fitque in- „ terdum ut ab initio optime instituta con- „ versione temporis pessimos exitus habeant. „ quare sicut in mari gubernator, non obsti- „ nate cursum tenet, sed secundum caeli tem- „ pestates clavum convertit; ita ad articulos „ temporum aptare consilia, civitatum prin- „ cipes decet. Sapienter a majoribus cautum „ erat, ut quicumque in civitate nostra na- „ scerentur, in civium, atque adeo domino- „ rum numero essent. ita tunc res poscebant, „ exhausta urbe aut finitimorum bellis, aut „ acerbitate servitutis, ut in antiquum splen- „ dorem restitueretur. nec fefellit opinio. Quip- „ pe civitas incolis ac divitiis aucta, dum ru- „ sticani homines locupletes, aut finitimae na- „ tiones hac spe invitatae, crebris migrationi- „ bus familias opesque in eam conferunt. Ve- „ rum hac facilitate hoc jam pridem effectum, „ ut gradus senatorius, ut dignitates et ma- „ gistratus, antiquis civibus exclusis, ad ho- „ mines novos pervenerint, municipalibus, aut

„ advenis genitos; qui vel humilitate originis
„ honoribus sint dedecori; vel alienae reipu-
„ blicae ignoratione, illam interim turbent,
„ quandoque evertant. Scilicet semiumber, aut
„ semiligur, aut etiam ex Gallia aut Hispania
„ ortum ducens, togatus sedebit in curia,
„ consiliis publicis aderit, sententiam de re-
„ publica dicet: nos interea otiosi mutique
„ exteros senatores audiemus? plus illi ad sa-
„ lutem publicam videbunt, nobis in hac urbe
„ genitis, sub hoc caelo educatis, qui longa
„ saeculorum serie hanc lucem aspeximus; hunc
„ spiritum hausimus; quorum majores saepe
„ auro, saepius sanguine emerunt libertatem?
„ nempe cum illi saevissimorum dominorum
„ jugum a cervicibus excutiebant, cum longa
„ obsidia finitimarum gentium tolerabant, cum
„ in acie ferro ad extremum spiritum dimi-
„ cabant; hoc agebant, ut posteris suis a rei-
„ publicae administratione amotis, rusticani,
„ ac externi homines, parta per eos dignitate
„ fruerentur. Nam quod ad exteros attinet, cre-
„ dite, patres conscripti, nunquam toti trans-
„ ferimur. haeret ingeniis hominum patriae
„ amor, et migrantibus in alienas terras cor-
„ poribus animi manent. nunquam illi rem-
„ publicam nostram tam sincere diligent, ut
„ si detur occasio non praeferant suam. Igi-

„ tur in curia sedebunt ex vicinis civitatibus „ homines et fortasse utile suae reipublicae „ consilium proment: sententiasque nostras, et „ sacrosanctum illud regendis populis secre- „ tum, aut affectu, aut pretio vulgabunt. non „ amore sed utilitate cives, fidem cum ea „ transferent: et mutare civitatem assueti, „ nunquam hujus ita erunt, ut aliam non „ spectent. demus illis quantum volunt, pa- „ tres conscripti, tamen quam cara illis futura „ sit nostra respublica documento est, quod „ suam deseruerint. Proinde huic malo oc- „ currendum est, ne adulto et auxilia jam „ vincenti sero manus admoveamus: et tunc „ servare velle rempublicam incipiamus cum „ amiserimus „. Magno animorum motu excepta principis oratio. praecipuo favore illorum, qui antiqua nobilitate tumidi, fastigium suum minui plebis communione arbitrabantur: palam dictitantes: „ nunc demum suam magistratibus „ dignitatem, suam reipublicae majestatem fu- „ turam, si antiquorum civium optimatumque „ consilio regatur. jam diu togas fascesque „ plebeiis manibus, plebeiis humeris pollui. ita „ natura comparatum esse ut intra optimos „ consistant imperia. etiam in humanis cor- „ poribus membra nobiliora imperare, caetera „ regi. cor et caput jubere, pedes ac ma-

„ nus servire. Coeptis itaque rogari sententiis, „ plures censebant legem ferendam, qua sine „ ullo discrimine rusticanorum aut advenarum „ filii posterique, etiam si jam honoribus fun- „ cti essent, perpetuo a reipublicae administra- „ tione arcerentur „. Alii affirmabant: « non „ esse publicae dignitatis fidem frangere tot „ honestis hominibus, qui aut e municipiis, „ aut ex alienis terris in civitatem ea spe „ migrassent, ut eorum posteri antiquorum „ civium jure fruerentur. Si ita placeret, posse „ in futurum consuli. caeterum quicquam de „ quaesito jure minui mali exempli esse, et „ quod animos multitudinis injuria accenderet. „ Si major civium numerus a reipublicae ad- „ ministratione removeretur, verendum ne li- „ bertate amissa, mallent sub domino esse, „ quam sub dominis „. Nec deerant qui quo- dam temperamento acerbitatem legis lenirent. censebantque statuendos certos gradus, quibus municipum aut advenarum posteri ad rem- publicam accederent: ita et retineri reipubli- cae dignitatem, et ea incommoda vitari, quae oratione sua princeps perstrinxisset.

Alii contra disserebant, nihil de vetere ci- vitatis statu mutandum. « Carolum IV. liber- „ tatis auctorem, recuperatam ab hostibus „ rempublicam civibus tradidisse. *Cives au-*

„ *tem origine*, hoc est ortu, *fieri*. quare be-
„ neficio Caesaris quicumque in civitate orti
„ essent ejusdem dominos esse. nefas esse
„ abrogare quod imperator sanxisset. Non ita
„ pacatum Italiae ac Etruriae statum, ut ple-
„ bis animos exasperare hac novitate tutum
„ esset. iis legibus fundatam rempublicam ado-
„ levisse; iis inter prospera ac adversa tot
„ saeculis floruisse. Majores qui sapientia multo
„ praesentibus anteissent, hanc viam exteris
„ nationibus aperuisse, ut civitas, quemad-
„ modum et factum erat, multitudine ac opi-
„ bus redundaret. esse e republica ut quod
„ usquam aut in exteris provinciis aut in
„ municipiis splendidum validumque in civi-
„ tatem conflueret. quis patrias sedes, quis
„ avitos penates deinceps relinquere voluisset,
„ ut iret ad dominos? Documento esse ur-
„ bem romanam unde ipsi originem ducerent,
„ quae in unum collecto provinciarum flore,
„ in eam amplitudinem imperii et gloriae ado-
„ levisset. nempe ab ipso Romulo Sabinos in
„ civitataem allectos, nec minus fidos deinde
„ cives, quam acerbos hostes antea, extitisse.
„ Senatum ex Albanis Tusculanisque, deinde
„ etiam ex Hispanis Gallisque conscriptum.
„ nec unquam Catones, Marios, Claudios, Tul-
„ lios ex municipiis ortos reipublicae probro

„ fuisse. Et ut antiqua et obsoleta transmit-
„ terentur, si id majoribus placuisset, multis
„ primae nobilitatis familiis, et fortasse etiam
„ ipsi legis auctori locum in curia non futu-
„ rum. Quotumquemque nobilium originem
„ suam, aut ad exteras gentes, aut municipia
„ non referre? quem poenitere tot optimorum
„ virorum, quorum majores aut ex agro op-
„ pidisque migrassent? omnes qui nunc vetu-
„ state tument, aliquando novos fuisse; nec
„ aut e caelo delapsos, aut subita vi solo
„ extitisse: sed plerosque alibi genitos, aut
„ domicilio, aut populi beneficio in civitatem
„ venisse. proinde non inviderent aliis bene-
„ ficium quo ipsi crevissent. Si novis civibus
„ aditus clauderetur, tolli virtutis aemulatio-
„ nem, qua veteres familiae novis hominibus
„ praestare, novae antiquis aequari conten-
„ derent. Nobilitatem luxu ac ignavia dein-
„ ceps solvendam, cum imminutis qui cape-
„ rent, videat honores nasci sibi non dari.
„ Quin et antiquis familiis, fato rerum mor-
„ talium, paulatim deficientibus, rem ad pau-
„ cos venturam, quorum unus tandem vali-
„ dior caeteros premat. et nos quidem nunc
„ populo, nobis deinde aliquem nostrum, im-
„ perium erepturum. Civitatem populo refer-
„ tam, populum divitiis opulentum. non prae-

„ bendam esse materiam res novas cupientibus.
„ exarsisse nuper ad arma plebem, nec illi
„ dominatio extorquebatur. optime a principe
„ dictum, nunquam sine periculo fundamenta
„ imperiorum moveri. Saluberrimum esse eum
„ civitatis statum quem usus probasset. Si se-
„ mel refigantur rerumpublicarum termini, nun-
„ quam in eodem loco stare. et ipsi quidem
„ veterum leges, nostras posteri evertent. tur-
„ pique inconstantia nullam habebimus rempu-
„ blicam, dum una contenti non sumus. »

Haec in utramque partem magnis contentionibus jactata. ac tandem in eorum sententiam qui omnino novis civibus auferendam potestatem censebant, lex perrogata est, ab auctore martiniana appellata: cautumque ut qui ex advenis nati essent, eorumque posteri, perpetuo a republica excluderentur: etiam si aliquis eorum aut in senatum venisset, aut aliquo magistratu functus esset. Filiis vero rusticanorum qui jam rempublicam attigissent lex fraudi non erat: caeteri exteris pares fiebant, nisi qui beneficio senatus civium antiquae originis jus impetrasset. quibus verbis decreti acerbitatem lenire voluerunt, ne si penitus novis hominibus respublica interdiceretur, plebs aliquid moveret. quod ut in praesens ignaris lenimentum et spes inanis, ita

prudentissimus quisque reputabat, plebe semel exclusa attentiorem fore nobilitatem ad retinendum dignitatis locum: quem clausum et obvallatum unus aut alter insigni virtute, aut ingenti pecunia perrumperet.

Mihi, si consilia exitu metienda essent, illud in hac opinionum diversitate videtur fuisse magis e republica, si certi gradus constituti forent, ultra quos municipum aut advenarum posteris ad honores aditus pateret. hoc enim temperamento et antiquis civibus cavebatur in praesens et novorum ita ratio habebatur, ut ad rempublicam non accederent nisi cum jam pene in antiquos transissent. Nam ut ea sententia quae tandem vicit tranquillitati et otio civitatis consultum, non raro dum res penes populum erat factionibus et discordiis turbidae; utque majestas reipublicae crevit longe alia patriciorum specie, senatum et magistratum gerentium: ita negari non potest multitudine ac divitiis imminutam fuisse, ea spe sublata quae exteros invitaret. neque enim dubium est, converso civitatum etruscarum statu, plures amore libertatis in propinquam urbem migraturos fuisse, si quam in sua amiserant, in nostra sperare potuissent. Praeterea ut est rerum humanarum conditio, dum deficiunt in dies antiqui, nec novi su-

brogantur, periculum est ne aliquando respublica ad paucos perveniat, aut ad malos. Centesimus decimus nonus a lege martiniana effluxit annus, intra quod spatium supra quadraginta, quae tunc honoribus fruebantur, gentes extinctae sunt, nominibus earum sepultis: pleraeque autem patriciae quae antea in quinque aut amplius familias propagatae, sobole ac viris florebant, nunc ad unam tantum redactae, solitudinem suam erubescunt: nec interim nisi una aut altera, magna aut gratia aut pecunia inter nobiles allectae. quare jam sentiri coeptum, quod prudentes illi viri qui nihil mutandum censebant, tanto ante providerant, nempe bonorum civium inopia: et cum ad legendum senatum, aut ad comitia ventum est, tunc optimates paucitatem suam intelligunt; coacti ut locos expleant indignos et sordidos capere, non eligere: et iis credere rempublicam, quibus nemo privatum negocium mandaret. Sed haec facilius queri quam emendare possumus. jam ad inceptum redeamus.

Vix latae legis fama emanavit in vulgus, cum plebs omnia invidiosis querelis implere. „ se videlicet jam dudum a nobilitate con„ temni. eo patriciorum crevisse superbiam, „ ut nihil aequi ab illis sperandum sit. quos

„ ante illud tempus patres patronosque experti
„ fuerint, deinceps superbos dominos passu-
„ ros. caeterum plebem uti dignitate minorem,
„ ita viribus praestare. nobilitatem honestio-
„ rem, sed invalidam: et sine populi auxilio
„ caput sine corpore. si qua vis externa in-
„ gruat tunc demum intellecturos patres quid
„ intersit inter populum pro sua ac pro aliena
„ republica pugnantem. nempe illi vigilias, illi
„ stationes obirent. nolle se pectora vulneri-
„ bus obiicere, nolle animam impendere pre-
„ tium servitutis. Emortuos jam pridem po-
„ puli spiritus, nihil priscae virtutis, nihil
„ animi superesse. ubi nunc illam plebem,
„ quae olim patricios omnes a gubernaculis
„ reipublicae submovisset? quae illorum su-
„ perbiam exiliis et proscriptionibus fregis-
„ set? nuper ob novam legem contra opifices
„ latam ad tumultum et arma discursum. nunc
„ honores sibi, civitatem, rempublicam de
„ manibus eripi tamquam pueris feminisque
„ imbelli questu ulciscentibus. si sub domino
„ vivendum sit, mitiorem esse sub uno, quam
„ sub plurimis servitutem „. Haec in vulgus jactata, acerba et innoxia: nec ultra verba saevitum: patribus modesto imperio ita plebis animos lenientibus, ut non alio tempore major fuerit popularibus fides.

Sequenti anno (1) cum paulo ante bellum inter Paulum IV. et Philippum Hispaniarum regem exarsisset, duce Albano regulo qui in neapolitana provincia regias vices agebat; Germanorum cohortes, eidem provinciae a Gallorum incursione tuendae, qui icto foedere cum pontifice illam invaserant, pacato itinere per lucensem agrum transiere. quibus excipiendis, commeatuque ac omni alia re juvandis VI. viris negocium a senatu datum, qui omni genere benignitatis amicam nationem, et optimi principis auxilio destinatam, laetis animis dimisere. Praeter belli sollicitudinem anxiam habebant Pauli mentem curae religionis, quae foedis illis temporibus non uno in loco pravis opinionibus turbabatur. et, alioquin trucis ingenii virum, tam justae causae in contumaces accendebant. Haeserat jam pridem in ejus animo sinistra de Lucensibus suspicio: quae ut publice falsa, ita privatim non sine aliqua ratione concepta, malevolorum arte alebatur. jamdudum eo spectantium, ut obtentu religionis Luca libertate amissa, novae alicujus dominationis accessio fieret. Sed diligentia Joannis Tegrimii, quem respublica in eis rerum motibus ad pontificem et Albanum oratorem mi-

(1) An. 1557.

serat, omnis haec nubes discutiebatur: qui ut religionem in nonnullis civibus labefactatam, ita publice integram demonstrabant. » in-
» de constare sinceram senatus pietatem, qui
» male de religione opinantes bonis eorum
» publicatis hostes judicasset: sua membra,
» sua viscera avelleret; et qua premiis, qua
» suppliciis id unum ageret ut ab ea labe
» civitas purgaretur ». Eadem causa apud Philippum regem Hieronymus Gratianus reipublicae orator laborabat. quippe inimici in eam spem venerant, quod apud Carolum in amore Lucensium inveteratum non successerat, id apud juvenem filium, et nondum in reipublicae benevolentia confirmatum, obtinere posse. Itaque in novi principis animum paulatim callide obliquis sermonibus obrepere: crimina ad aures ejus, ubi se aperiret locus, spargere. « Lucam jam diu non libertate, sed
» licentia abuti: nihil in ea sincerum, non jus,
» non religionem, non animum in domum
» regnatricem. id unum superesse, si putre
» ulcus quod lenibus fomentis creverat, se-
» caretur ». Sed legati dexteritate, et innocentia civitatis effectum, ut tela in irritum caderent: Lucensesque, ne dum a benevolentia regis exciderent, sed ut ab eo prolixius amarentur.

Eodem tempore cum Cosmus Florentinorum regulus senensis reipublicae dominatione auctus esset; senatus in speciem hanc ei felicitatem gratulatus est per oratorem Benedictum Bonvisium: animi moerebant. quippe ut finitimi principis, et qui lucensis libertatis patronum profitebatur incrementa dissimulari sine offensione non poterant; ita in amicae civitatis funere laetari crudele esse credebant, et hominum fortunae vices parum reputantium. Alacrius Octavio Farnesio receptam Placentiam Michael Deodatus publico nomine gratulatus est: quippe nullus inde ut a longinquo metus: et civis sui felicitatem ut suam respublica intuebatur. Siquidem farnesia domus jam inde a vetustis temporibus per Lucenses Lucii III. affinitate creverat: et in Alexandro, qui postea Pauli nomine pontificatum gesserat, civitate donata, veterum officiorum memoriam integraverat.

Funestum insequentem annum (1) toti orbi, sed praecipue reipublicae lucensi mors Caroli V. fecit; quae in eo principe parentem et conservatorem suae libertatis amisit. quam priusquam narrare aggrediar, caetera illius

(1) Ann. 1558.

temporis ordine memorabo. Principio anni Balthassar Antelminellus ad Philippum regem tunc in Belgio agentem orator ordinarius electus: vir plurium legationum honore insignis; et qui in aula hispana apud veteres Caroli amicos plurimum favore pollebat. Joannes vero Lucchesinius, qui apud Cosmus Florentinorum et Senensium regulum eodem munere fungebatur in triennium refectus est. Ad Ferdinandum imperatorem, qui abdicatione Caroli fratris rerum potiebatur destinati oratores qui ei novam dignitatem gratularentur duo illius aetatis summi viri, et senatus ejus temporis lumina Michael Angelus Bertolinius et Andreas e Nobilibus. Ea legatio magno decori reipublicae fuit: nam et legati summo cum honore excepti deductique: atque omni humanitatis et benevolentiae significatione a caesare habiti, apud quem princeps legationis Bertolinius in hunc modum loquutus fertur. « Si post Ca-
„ rolum principem in ejus fastigio alium stare
„ praeter te fortuna voluisset, imperator au-
„ guste, non sine aliqua sollicitudine respu-
„ blica nostra nunc viveret. Nam parente
„ optimo a gubernaculis rerum sponte subdu-
„ cto, ea reputatio suspensos haberet, quis-
„ nam erga nos novi principis animus, quae
„ voluntas futura esset. Sed nunc cum te in

„ fratris solio collocatum videamus, ut san-
„ guine ita virtute illi parem, eumdem nos
„ vultum, eumdem animum intueri nobis vide-
„ mur, et Carolum mutasse, non amisisse. licet
„ nunc, sanctissime patriae nostrae pater,
„ totus tibi, totus caelo vaces: major, si fieri
„ potest, imperio dimisso quam gesto: licet
„ victoriarum et triumphorum tuorum gloriam
„ privatus despicias, quod de paucis audivi-
„ mus de te uno credimus, fastigio tuo sponte
„ superstes, et post augustum libenter Caro-
„ lus: nam nunquam te imperatorem, nun-
„ quam in acie et in armis stare, nunquam
„ Lucenses tuos omnibus affectibus demereri
„ desisse putabimus; donec Ferdinandum tuae
„ purpurae, tuae virtutis, tuae in nos bene-
„ volentiae successorem videbimus. et ut te,
„ imperator auguste, eumdem fore erga nos
„ speramus, ita Lucenses tui quo animo Ca-
„ rolum prosequuti sunt eodem te suspiciunt,
„ ac venerantur: teque libertatis suae paren-
„ tem, conservatorem, vindicem amplectuntur.
„ iidem sumus qui tot retro saeculis, fide
„ erga romanum imperium invicta; quamquam
„ non semel a magnis regibus tentati, qui fi-
„ nes nostros armorum terrore circumsonabant:
„ parati pro gloria tua, aurum, sanguinem,
„ ad extremum, etiam spiritum et animam

„ profundere. et ut quidem sponte hanc opi-
„ nionem foves, sed alii fortasse per invidiam
„ imminuent. adversus quorum ictus invicta
„ arma opponemus, scilicet innocentiam no-
„ stram et tuam bonitatem. animo ac stu-
„ diis a te semper stabimus quantum possumus,
„ viribus plus pene quam possumus. Et tibi
„ gloriosum erit civitatem etruscae libertatis
„ posteram servare: et nos beneficio tuo flo-
„ rentes ac liberi, orbi documento erimus,
„ austriacam domum tutelae terrarum geni-
„ tam. et dum caetera Etruria serviente, nos
„ integros jurisque nostri aspicient, inimici
„ gloriae vestrae jactare desinent, vestra arma,
„ vestra consilia ad servitutem Italiae spectare;
„ eosque qui jugum accepere, non cupiditate
„ vestra, sed sua culpa servos, etiam inviti
„ fatebuntur ». Haec legatus: ad quae caesar
imperatoria brevitate, lucensis libertatis vin-
dicem fore pollicitus, vetera civitatis privile-
gia ac immunitates, novaque Caroli beneficia
rata esse jussit; professus: « se rempublicam
» affectu patris amplecti: non minus fratri in
» regno, quam in amore erga Lucenses suc-
» cessisse: daturumque operam ut non falso
» respublica Carolum adhuc potiri rerum,
» adhuc in imperio et armis esse, adhuc ejus
» commodis advigilare arbitraretur ». adjecit

his verborum officiis egregiam liberalitatem, qua quindecim millia coronatorum, quae Lucenses imperatoribus, patrocinii titulo pendebant, remisit. quae senatui renunciata, maxima laetitia civitatem affecerunt; legatique gloria et existimatione aucti, in patriam reversi, bonorum civium exempla monstrabantur.

Per eadem tempora Christophorus cardinalis Madrutius, cum id cuperet, una cum Nicolao fratre posterisque civitate donatus est. Sed ut egregiis civibus splendor civitatis augebatur, ita improbi dedecori illi erant. quippe quamvis ante multis senatusconsultis in religionis antiquae desertores animadversum foret, tamen ut a magna tempestate fluctus, ita non omnino ab ingenti illo motu civitas quieverat. Quare quotidie novis legibus audacia illorum coercebatur, quae non in facta solum, sed in verba quoque severa castigatione animadvertebant. et ut tandem orbi testatum esset quam ea labes senatui displiceret, omisso omni sanguinis aut alterius necessitudinis respectu, in bona proscriptorum acerbe per ejus rei praefectos saeviebatur, ut impiorum animi hoc saltem metu ab incepto revocarentur: idem ipsi passuri nisi in genevensem asylum confugissent. Fuere ii Nicolaus et Hieronymus Liena, Christophorus Trenta, Gulielmus Balbanus,

Franciscus Cattanius et Vincentius Maeus, a majorum splendore et pietate degeneres. Et ne saepius de eadem re dicere cogar, in hunc locum conferam quod aliquanto serius hoc anno contigit. Injerant extremis anni mensibus magistratum decemviri, e quorum numero Michael Deodatus, qui ter jam princeps fuerat, impietatis apud romanos quaesitores delatus, causae et conscientiae fidens a senatu solvi legibus postulavit, ut honore abdicato, judicio se sisteret. quo impetrato Romam se contulit; unde biennio post, causa diligenter cognita, magna cum gloria in patriam rediit, sententiis judicum absolutus: fama integra, qua usque ad extremam senectutem vixit, omnibus honoribus functus, septies princeps decemvirorum: si non tam felici, a post dictam causam certiore innocentia.

Accessit tamquam cumulus, malis quibus iis temporibus civitas premebatur, mors Caroli caesaris, qui regia et imperatoria dignitate, ut dictum est, abdicatis, privatam vitam biennio ante instituerat. sive dulcedine otii quam sibi plerique majorum principum inter molem negotiorum promittere solent, nemo praestare: sive jam lassam fortunam, et una cum aetate sua senescentem, ad Gallum robore et annis validum desciscere animadvertebat: veritus ne

tot victoriarum gloriam infelici aliquo facinore corrumperet: sive quod majus momentum habuit, praeteritorum conscientia stimulabat, quibus famam suam non parum laeserat; icto foedere cum Britanno sacrorum hoste, contra pontifici datam fidem; permisso religionis velut interregno; capta direptaque urbe, consiliisque de captivo in Hispaniam ducendo pontifice maximo agitatis: ob quae pacem numinis exorare ante mortem necesse habebat, ne si inexpiatis manibus decederet, impiorum supplicia tot laboribus emisset; damnatamque nominis sui memoriam posteris relinqueret. Neque enim illum (quod tunc, ut intima principum introspicere vulgarium quisque jus sibi putat, a nonnullis jactabatur) tam praeposterae ambitionis fuisse crediderim, ut spreta solida principatus gloria, inanem popularis aurae umbram incepto tam difficili sequutus fuerit. Itaque triumphalis senex cum totus Deo sibique vacans, in contubernio ac consuetudine piorum virorum biennium fere explesset, illum supremae necessitatis articulus oppressit, Carolumque extinxit, cum jam ipse caesarem et augustum sustulisset.

Nunciata ejus morte, magnus moeror, ut par erat, civitatem incessit. sed praecipue funeris die, quod illi e publico, magnificentia

dolori non impare celebratum est, obhortae omnibus lacrymae, illum patrem patriae, illum libertatis conservatorem recordantibus. Versabatur ante omnium animos illa vultus majestas, ille oculorum vigor, illa animi vis qua priscos caesares aequaverat; sed praecipue dolorem integrabat illa facilitas morum, illa alloquiorum benignitas: prompti aditus, vulgaris vestitus, et ad demerendos vulgi amores in summo fastigio, privata popularitas. bis eum in civitate viderant, verba amoris et benevolentiae plena audierant; unde tanto acerbior luctus, et acriores dolendi causae. Sed nihil aeque lacrymas omnium promeruit, quam quod ille novissimas curas, inter ingentes cogitationes quae in eo articulo, sacro ejus pectori ingruebant, in nos intenderat: extremumque spiritum in amore Lucensium suorum profuderat. quippe supremis tabulis eorum libertatem Ferdinando fratri, Philippo filio prolixe commendaverat: veluti pro uno duos Carolos ejus tutelae relinqueret. Laudavit illum pro suggestu Antonius Bendinellus, qui tunc princeps publice eloquentiam profitebatur, vir, ut ea ferebant tempora, disertus, luculenta oratione, quae adhuc extat. illud parce inter tot honores senatus decrevisse visus est, quod unus tantum ex decemviris funebri pompae

interfuit; cum Francisci Guinisii funus privati civis, duorum majestas honestasset. Sed acerbus Pisanorum dominatus Guinisii maxime opera extinctus, et recens libertas in majorum animis valuit. Carolus libertatem non tam dederat civitati, quam non ademerat.

Moestam Caroli morte rempublicam sequens annus (1) recreavit, pace inter omnes christianos reges ac principes constituta; res non tantum Lucensibus, sed Europae universae laeta. quippe longis cladibus bellorum afflictae provinciae, exaustae tributis civitates, agri populationibus et incendiis vastati, pacis bonum tot malorum experientia commendabant. Inter tot reges magnosque principes ac liberos populos, ei foederi adscripti etiam Lucenses fuere; tamquam liberi et communes partium amici. quo consilio majores nostri inter tot rerum casus libertatem servarunt, posterique servabunt, regum turbis se non immiscendo. Itaque studendo singulis, ut nemo insigniter praeferatur. Nunciata pace, per triduum festi ignes, aliaque laetitiae publicae solemnia celebrata de more. tum honorifice legationes ad principes decretae. Vincentius a Porticu, qui tunc Romae age-

---

(1) Ann. 1559.

bat, ad pontificem maximum orator electus, qui ei pacatam christianam rempublicam tamquam communi orbis patri gratularetur. ad Philippum regem, quamquam in ejus aula Andreas de Nobilibus orator ordinarius esset, Michael Angelus Bertolinius extra ordinem legatus est. Dinus Sardinius et Ludovicus Bernardius ad Henricum regem in Galliam missi: qui cum aulam infelici ac inopinata regis morte moestam reperissent: (quippe dum equestri decursione ob pacem et affinitatem cum Hispano solemnes dies ludis celebrat, hastae dissilientis fragmine per dextrum oculum ad occipitium adacto, extinctus erat) praetextas et laeta gratulationis officia in lugubrem vestem, et consolationem mutare coacti sunt. At vero Balthassar Antelminellus ad Allobrogum, Gerardus Pinitesius ad florentinum ac senensem regulum destinati.

Eo anno principes viri hospitio excepti. Franciscus Cosmi filius Bacchanalibus in urbem venit, eique deducendo electi Franciscus Cagnolius et Vincentius Deodatus. Novembri mense Alphonsus Estensis Ferrariae ac Mutinae regulus una cum uxore exceptus: multis invicem benevolentiae significationibus, quibus respublica erga eum principem, ille erga rempublicam amicum animum testatus est. Sed

nemo sic omnium in se oculos convertit, ac Cosmus Florentiae et Senarum regulus, qui post Alphonsi discessum in urbem una cum uxore ac filia ingressus est: magno apparatu publice in aedibus Bonvisiorum, una cum comitibus exceptus. Spectabilem eum faciebant, tum fortunae magnitudo, qua privatam familiam pene regibus aequaverat; tum habitus et forma oris amplior et augustior humana, et quae nescio quid regium et supra speciem mortalem spirare videbatur. accedebat mira comitas, qua civiliter admodum, ac sine ulla principatus ambitione se colloquentibus dabat, remotis corporis custodibus, quod non alibi temere faciebat. quae omnia, sive insita medicaee familiae popularitate; sive assimulatione, quod populis imperaret nondum totam servitutem pati assuetis; sive solita principum arte, in libera civitate convellendo amori libertatis usurpata, mire plebi et in vulgus grata fuere. destinati qui eum deducerent e prima nobilitate Jacobus Arnulphinius et Joannes Tegrimius. Discessit admodum laetus lucensis populi benignitate, ac ipse invicem laetam urbem reliquit, mutuis amoris ac benevolentiae officiis; quae tandiu ab iis principibus in nos manebunt, quandiu liberi erimus. Obierat augusto mense Paulus IV. ob asperos mores, vir alio-

qui sanctus et innocens, non multo sui desiderio relicto. cumque magnis contentionibus comitia in quatuor menses extracta essent, renunciatus tandem est pontifex maximus Joannes Angelus Medices, ad leniendam prioris principatus invidiam, Pii IV. nomine assumpto. missi ad eum salutandum Michael Angelus Bertolinus, Andreas Bernardus, et Josephus Bernardinus. quorum Bertolinus in senatu purpuratorum publice orationem habuit: ea eloquentia et gravitate, ut maximam ingenii sapientiaeque laudem retulerit. tanta benignitate publice privatimque a Pio excepti fuere; ut etiam gratam memoriam injiceret cultus qui olim praesenti habitus esset, dum valetudinis causa ad aquas lucenses venisset; professus se civem lucensem reipublicae futurum. nec defuit promissis fides; eoque vivente patrem amicumque respublica minime desideravit. Neque huic benevolentiae disparem animum gerebat Carolus Borromaeus Pii sorore genitus; qui vix dum adolescentiam ingressus, purpura primum, dein mediolanensi sacerdotio auctus, eximia sanctitate morum coelestes honores meruit. Inde patres ad reipublicae curam versi. cumque lacus sextus influentibus aquis per hyemem praecipue auctus, agros late inundaret; communi senatus regulique Florentinorum con-

silio, ducta ingentis operis fossa, quae ad Vicum pisanum, atque inde in Arnum eum emitteret. quo aquarum effluvio lacus depressior, magnum agrorum spatium, stagnantibus aquis ante occupatum, culturae reliquit. Praefuit operi Gerardus Vellutellus, Petro Lena quem insignem aquarium ea aetas tulerat, ei curatione adhibito. absolutoque demum publica impensa, cum utilitas aperte constaret, sequenti anno (1) agrorum dominis, qui ex eo opere beneficium caperent, proportione tributum impositum. illud etiam utilitati publicae accessit, quod siccati agri, cum alii pro dimidia, alii pro quarta parte lucensi populo adjudicati essent: eorum venditione summa ingens redacta: unde novo murorum operi, quod paulo post ad meridiem inchoatum est, sumptus suppeterent: centum aureorum millibus in eam munitionem impensis. major servandae antiquae religionis cura patribus inerat; quare purpuratorum admonitu, qui Romae quaestionibus de religione praesunt novus magistratus insequenti anno (2) creatus, qui religiones curaret: cum praecipue prava quorundam sedulitate, civi-

(1) Ann. 1560
(2) Ann. 1561

tatis fama apud illos male audiret. Plures legationes eo anno missae. Petrus Franciscus Cardosus Ferrariam ob lites inter Castellinenses, Saxique rubri incolas: Matthaeus Balbanus in Galliam ad novum regem ire jussus: qui post quam de funesta patris morte solatia illi adhibuisset, regnum gratularetur. Laurentius Arnulphinus orator ordinarius in Hispaniam destinatus. Ad regulum mantuanum, qui nuptiarum celebritati interesset, Nicolaus Bartholomaeus; in Allobroges Alexander Buonvisius, ivere. Insequenti anno (1) tantus pietatis sensus concionibus Buxeti, sic eum appellabant, ordinis minorum, incussus publice animis est; ut cunctis ad coelestium placamina versis, passim populus urbanus rusticusque, alii nudis pedibus, alii semet flagellis caedentes supplicarent: tanto numero, ut uno die ad XVIII. millia hominum una tantum porta urbem intraverint: ante minoribus puellis, post adultis virginibus, inde nuptis ac majoribus natu incedentibus. eodem ordine viri sequebantur: omnibus ad id spctaculum religione motis: effusisque in lacrymas: paratamque jam in mortalium scelera ultionem, iis piaculis averti cre-

(1) Ann. 1562.

dentibus. Per haec insequens annus (1) inierat, quo jam peracto quinquaginta annorum spatio a Leonis X. judicio iterum de Granio monte quaestiones surrexere: quae diu multumque ultro citroque versatae, cum septem annos sollicitam rempublicam habuissent, tandem Pii V. pontificis maximi sententia is locus, Lucensibus tamquam gallicanensis agri pars adjudicatus est: Aesare flumine inter Gallicanenses Bargaeosque limite constituto; ea conditione ut CXXX. aureorum annua pensio in posterum Bargaeis solveretur. isque inter eos populos rixarum odiorumque finis, pace, quantum ad eam causam, aeternum firmata. Pacandis etiam discordiis, quae inter montanos de itinere alpium exortae erant, Josephus Altogradus Ferrariam missus. lecti quoque sex viri proximo anno (1) quibus negocium datum, ut curarent ne cives qui in Gallia trans alpes degebant, alio quam veteris religionis ritu viverent: cum ea de re Carolus Borromaeus magnum avunculi pontificatus munimentum, literas ad senatum dedisset. Continendo etiam Aesari, ne tam saepe in subjectos urbi agros exundaret, eo anno coeptus agger, qui deinde paulatim absolutus perfectusque est.

(1) Ann. 1563. (2) Ann. 1564.

novam quoque fossam navigiorum capacem a fano Quirici, quod in Casale appellant, ad urbis moenia producendam privato sumptu Ludovicus Pinitesius suscepit; certis conditionibus a senatu impetratis, quae Auseri Rogioque amnibus commissa, subvehendis ab Aesare Arnoque per Sextum lacum mercibus magno deinde usui fuit. Hoc anno ultimum diem obiit Ferdinandus imperator, cui a senatu, ut Carolo fratri, funus insigni pompa celebratum. successit illi Maximilianus filius, ad quem salutandum missi Laurentius Arnulphinus et Thomas Balbanus, amicum Lucensibus retulere. ad Franciscum quoque florentini reguli filium, in quem pater retento fastigii nomine, supremoque rerum arbitrio, curas dominationis transtulerat, Hieronymus Lucchesinus et Franciscus Arnulphinus ivere. Eodem anno dimisso patrum concilio, quod Tridentinum primo indictum, aliasque deinde in urbes translatum, eo demum rursus convenerat; vulgatisque pontificis maximi auctoritate ejus decretis toto christiano orbe; supplicatio solemnis habita, ex universa dioecesi acto sacerdotum conventu, quibus antistes Guidiccionus ea in usum conferenda proposuit. convenere ad DXLIX. lucensi pontifice tunc latius praesidente, necdum amissa ad Arnum regione, oppidis pagisque frequenti.

Laetus insequens annus (1) civitati fuit aurae rosae munere, quam pontifex dilectae urbi decus amorisque monumentum, caerimoniis demore inauguratam dono misit. quod munus per se ingens, tempora etiam commendabant: quibus, paucorum culpa, improspera Lucenses fama apud romanam aulam erant. quasi id abolitae ejus opinionis, quam de industria invidi etiam auxerant, indicium esset. lectus e romana nobilitate qui eam perferret Julius Columna Pio pontifici a secretis: qui ingenti laetitia ac honore exceptus, aureum fruticem unionibus distinctum manu praeferens, per celebriora urbis itinera equitavit, illum populo qui innumerabilis confluxerat ostentando. hospitio exceptus est publica impensa in aedibus Guinisiorum: ac postera die magno nobilium comitatu in palatium ad decemviros perrexit, eorumque principi Petro Burlamacco, donum quod excelsae Lucensium reipublicae pontifex misisset, obtulit, verbisque ornando gratius effecit. Illud ex S. C. in conclavi principum ad hanc diem servatur: antiquitusque solemni receptae libertatis, crucisque exaltatae die per urbem deferebatur: qui mos deinde exolevit.

(1) Ann. 1565.

abeunti legato bina aureorum millia dono data: quem principes civitatis laute ac magnifice habitum, honore donisque laetum ad pontificem remisere. qui fine hujus anni, tum de Lucensibus, tum de omni christiana re optime meritus, subito apoplexiae morbo extinctus est. Successit illi per initia insequentis anni (1) e purpuratis Alexandrinus, praedicatorum instituta olim professus, magna sapientiae ac sanctimoniae fama: cui deinde tam praeclare satisfecit, ut etiam inter divos relatus, thure et aris coli meruerit. qui in honorem decessoris, abolendaeque etiam suspicioni, quae de nimia ejus severitate asperisque moribus temere in animos vulgi irrepserat, Pius dici voluit. qui statim eum publico nomine salutarent lecti antistes Guidiccionus et Vincentius Parensius, qui tunc Romae erant. a quo magna benevolentiae significatione excepti: commemoratis etiam officiis, quae dum apud aquas lucenses valetudinis causa diversaretur, senatus civesque illi impendissent. professusque est Pius se parentem patronumque reipublicae futurum, si commercium omnino cum Genevensibus tolleretur: ne pestilentium hominum contagio pur-

(1) Ann. 1566.

gata respublica iterum morbi aliquid duceret. quod ubi Lucam significatum, senatusconsultum factum, quo intra certum tempus, quod colligendis rationibus, negotiatoribus datum, commeatus omnis cum Genevensibus vetabatur; quo commendatior pontifici maximo Lucensium religio fuit. ivere deinde ad eum tres legati de more; Andreas e Nobilibus, Petrus Bernardinius et Bernardus Bonvisius: quorum prior divini humanique juris ea aetate consultissimus, publice in senatu purpuratorum patrum mandata exposuit. Excessit eo anno Florentiae in legatione ad Cosmum regulum Nicolaus Guidiccionus: egregius civis, et cujus virtuti plurimum respublica debebat. cadaver Lucam relatum, et in majorum sepulcris conditum. in ejus locum lectus Andreas e Nobilibus, missus etiam in Hispaniam ad Philippum regem orator ordinarius Joannes Baptista Turcus; cum Nicolaus Burlamaccus id munus senatui excusasset. Eodem anno plebi levandae, quae intermisso sericae artis opificio inopia premebatur, paterna providentia senatus liberaliter pecuniam ex aerario deprompsit: nec alere eam cessatum, donec melior fortuna rempublicam eo sumptu absolvit. quo tempore etiam lanificium revocatum, quod fervente serica arte exoleverat.

Triennium quod ab hinc sequutum est (1) cum praecipue iis de Granio monte caleret, mittendis legationibus, ac ultro citroque commeando consumptum: donec, ut supra dictum est, Pii judicio dirimeretur (2). Interim Petri Buzolini temeritas civitatem turbavit. natus hic vetere et clara familia, quaeque prima principatum decemviralem urbi intulerat; ut vetustae nobilitati rerum humanarum vitio plerumque accidit, majore claritudine quam opibus erat. plures tuendae dignitati domi forisque rationes fortuna improspera inierat: desertusque etiam a suis extrema inopia erat. Quare desperatis rebus, quod pessimorum consiliorum mater egestas suasit, prodendae reipublicae consilium cepit; sed susceptam temere cogitationem, cum non minus temere quibusdam exulibus inexpertae fidei vulgasset; ab iis proditus capite poenas luit. Per idem tempus pontifex Pius Cosmo Florentinorum regulo, meritorum erga religionem praemium, magni cognomen detulit; una cum insigni capitis ejus fastigii proprio. quod a caeteris principibus aegre acceptum: magnis praecipue caesaris querimoniis, qui ut regulos facere,

(1) Ann. 1567. et 1568.
(2) Ann. 1569.

ita eorum augere majestatem suum rebatur. nec eo secius id illi decus ac posteris mansit. Lucenses per Michaelem Deodatum eum honorem illi gratulati sunt: quem regulus honorifice exceptum, amicum se patronumque reipublicae perpetuum fore, senatui nunciari jussit. Insequenti anno (1) disciplinae militari restituendae initium factum. nam cum saepius inter cives jactatum sermonibus esset, de urbana militia in certum ordinem redigenda, quemadmodum de montana suburbanaque jam ante constitutum erat: re ad senatum augusto mense delata, decretum ut ab octavo decimo aetatis anno usque ad quintum et quinquagesimum cives nomen militiae darent: armisque instructi, per suas quisque tribus ad certam diem in foro adessent. Convenere XI kal. decembris ad quatuor millia et quingentos e juvenum virorumque flore ac robore, in tres acies pro numero tribuum divisi: quorum aliis arma galeae thoracesque ferrei, telum praefixae ferro hastae erant: alii armati loricis minora tormenta humeris gestabant. pulchrum intuentibus spectaculum, non tam luxu armorum vestiumque, quae auro argentoque

(1) Ann. 1570.

ac purpura fulgebant quam quod mixta plebi ac indiscreta nobilitas, summique ac infimi, ut quemque casus tulerat, in iisdem ordinibus starent. quod mire gratum popularibus fuit: crevitque vulgata majestate patriciis apud plebem auctoritas: qui olim per superbiam suspecti ac invisi, odio simul et contemptui erant. E foro cum suis tribunis praefectisque per celebriora urbis itinera incedentes, in palatii vestibulum perrexere: ubi in aciem dispositi, cum decemviros uno tempore tormentis excussis laeto fragore salutassent, domum per suas quisque acies discessere. quae lustratio exercendae juventuti bis in anno fieri coepta, paulatim, ut caetera egregia et salubria, aetate nostra exolevit. Nec frustra militaribus studiis animi eo tempore adjecti (1); quo icto inter pont. max. regem Hispaniarum, ac Venetos foedere, Italia tota apparatu belli ardebat. quam expeditionem celebris illa ad Naupactum insulasque Echinadas in sinu corinthiaco pugna ac victoria consequuta est: qua afflictae pene Turcarum res cecidere. nempe XXX. millibus barbarorum caesis; decem millibus captis; CLXXX. triremibus in potestatem redactis; XC. demer-

(1) Ann. 1571.

sis; ac XV. christianorum millibus servitute liberatis: non sine caelesti ope; cum eodem tempore milites armis, Pius prece pugnaret. Plures Lucensium sacrae militiae nomina dedere: quorum principes duo tribuni militares Hieronymus a Porticu, et Hieronymus Sbarra Rhodii equites: quique in eo exercitu ordines duxere Paulus Vannius, cujus egregia in bello fama erat; Morettus lucensis et ipse militari gloria celebris; ac Joannes Guidiccionus; nonnullique alii, qui cohortibus manipulisque praefuere. Sed tantae victoriae fructum, proximo anno (1) sequuta Pii mors corrupit: cui purpurati patres Gregorium XIII. successorem dedere. ad quem salutandum missi Joannes Baptista Bernardus adjacensis antistes, Silvester Arnulphinus et Lucchesinus Lucchesinius, qui in ea legatione mortuus est. civis egregius, cui virtus et fortuna obsequutae, altera prudentiam, altera opes liberali manu contulerat. Pestilens is annus civitati fuit, vulgatis praecipue in puerorum corpora morbis; quorum duo millia in urbe extincta: praeter innumeros, quos ejusdem cladis contagio in agro secum traxit. plures quoque no-

(1) Ann. 1572.

biles viri, artificesque magno publicarum privatarumque rerum damno desiderati. Insequentem annum (1) rebus vacuum proximus excepit, civitati felix novae societatis exortu; quam animis in antiquae religionis pietatisque amorem excitandis Joannes Leonardius instituit. Natus is Decimi, (quod oppidum militari viae unde in Galliam Cisalpinam iter est appositum, imperio antistitum paret) cum pueritiam adolescentiamque insigni morum innocentia egisset; sub annum aetatis trigesimum rudis plane literarum, divino instinctu se se studiis addicens; brevi artium scientiarumque perfecto orbe, eam sapientiae famam adeptus est, ut idem sanctissimus, idem doctissimus haberetur. Quare sacerdotio initiatus, adjunctis sibi e nobilitate sociis Joannes Baptista Cionio, ac Caesare Franciotto, altero sanctimonia prudentiaque, altero praeter morum innocentiam eloquentia et scriptis cuivis veterum magnorumque ordinum, ne dum minimae societati, famam daturis: sub Matris Dei tutela, inter maximas procellas, novi ordinis hoc anno fundamenta jecit; qui diu jactatus, ad cortis Orlandingorum aedem tandem conquievit. eumque

(1) Ann. 1573 et 1574.

lucensem vulgo a loco appellatum, deinde non patria modo, sed summi pontificis complexi eximie foverunt. cujus opera (verbo absit invidia) religioni sacrisque cultus, integritas moribus, literis decus restitutum; civitasque veterno quodam pietatis diu sepulta, commovere se, ac senium exuere visa. Quae publico testimonio nixa, minime vereor ne domesticae gloriae potius, quam veritati inservire voluisse fando videar: pari fide, sed majore ambitu scripturus, si aliena, unde nulla vanitatis suspicio memorassem. Hoc anno a negotiatoribus calamitas accepta, quorum impeditis rationibus, cum fides concidisset, quadringenta aureorum millia creditoribus periere. Eodem anno excessit Cosmus Florentinorum regulus, felicitate ac regnandi artibus augusto caesari adulatione temporum aequatus. Princeps alioqui magnus, et patriae tot malis discordiarum fessae necessarius. successit illi Franciscus filius, in quem adhuc vivens dominationis molem inclinaverat. Sacer saeculari religione insequens annus excepit (1), quo praecipue annona laboratum. quem qui consequutus est (2), lucensi

(1) Ann. 1575.
(2) Ann. 1576.

urbi non uno malo memorabilis fuit. ea quae V. kal. septembris diem sequuta est, nocte, tanta tempestas imbrium ventorumque extitit, ut quati, ac ruere omnia, finique rebus adesse videretur. tum veluti continenti flamma caelum ardere, crebro subinde fulminum casu tonitribusque, metu ac terrore mortalium pectora implentibus. Nec intra metum ea clades stetit. quippe palatium fulmine tactum, qua parte sulphuratus pulvis ad subita belli servatur, cum repente conflagrasset; tanta ruina incendium consequuta est, ut magna ex parte publicae aedes corruerint: aedificiis circa ex ingenti motu concussi aeris late fatiscentibus. eademque strage prostratis. inter quae Puccinorum aedes insigni ruina concidere, domino obruto obtritoque. ea peste supra XXX. hominum absumpta, plures debilitati: e quibus duo praetoriani milites post biduum inter rudera ac parietinas vivi reperti; quos incidentium sibi tignorum fortuito concursu sustentatae ruinae texerant, evasere. qua occasione, publicae majestatis sedes deinde magnificentius aedificari coepta, in eam quae nunc cernitur operis molisque amplitudinem. Nec caelestibus minis omen obfuit. quippe hoc anno bellum cum Alphonso Ferrariae regulo exarsit: quod plures annos, cladibus inferendis, acci-

piendisque utrumque populum exercuit. praecipua inter Gallicanenses Neocastrensesque rabies, odiis ex propinquo saevientibus. caedesque et agrorum strages editae, potius in latrocinii quam justi belli morem. ea causa Gallicanum, monsque Perpolus (id oppido nomen). munitionibus praesidiisque firmata: cunctis eo congestis, quae ad inferendam propulsandamque vim facere possent. contra regulus novam arcem in edito colle non longe a Novo Castro aedificatam, de suo nomine appellavit. His malis ex pestilentia metus additus; quae Tridento ad solitudinem pene redacto, ac inde Venetiis non minori strage edita, in Gallia Cisalpina correpta jam Mediolano, ampla ac populosa urbe, saeviebat. quare patrum cura, ad urbis agrique custodiam versa; quantum humanis consiliis caelestes irae averti possunt, sedulo advigilabat: cuncta interim providendo, ne in ipso mali adventu trepidandum esset. praecipue placandis superis, ad meliorem frugem conversi mores valuere: quibus emendandis, et Joannis Leonardii sociorumque industria, et Joannis Baptistae Castelli ariminensis antistitis auctoritas non parum contulit; qui insequenti anno pont. max. jussu, rebus sacris constituendis in urbem venit. etenim eo curante disciplina

sacerdotum, quae jam pene exoleverat, pristinae censurae reddita: sublatae consuetudines, quae aut incuria, aut pravitate hominum irrepserant: sacra ac profana suis limitibus discreta; quae antea vi ac potentia turbabantur. Tulit hic annus atrox saevique exempli, sed magnitudine sceleris dignum supplicium: raro ante id tempus, postea nunquam adhibitum. Paulus Chiaritus natalibus maculosus ac maleficus suburbem ad Lazari fanum, excipiendis hospitibus meritoriam exercebat. solemne illi exteros homines itinere fessos, ubi alto somno indormirent, praedae causa jugulare, eorumque cadavera aut terrae defodere, aut infando scelere, concisa in mensa aliis apponere. diu occulte ac impune grassantem, tandem sceleratum hominem divina ac humana ultio comprehendit. Vidua mulier in vicinia habitabat, victum sibi tribusque parvis liberis honesto labore quaerens. huic Paulus, nescio quam peculiolam advenisse, subodoratus, intempesta nocte illam aggressus, lanae coloque intentatam, demissa in caput securi exanimat. inde ad lectulum in quo tres pueri jacebant, sceleris crudelitatisque plenus se conferens, illos eadem saevitia obtruncat: celandoque indicio, cum cadaver matris eidem lecto imposuisset, congestis lignis ignem subjecit, ut tamquam

fortuito incendio cremarentur: sed cum praeter ipsius spem, ignis cremata tantum lectuli parte, velut facinoris index substitisset; orto jam die ejus viciniae homines cum insuetum fumum sibi notassent, casam ingressi, crudeli spectaculo mentem simul ac oculos confudere. Adfuit inter caeteros Paulus, audaciam sibi pro innocentia futuram arbitratus: quamquam attonito vultu, et conscientiae indicia male premente. quoque magis a se suspicionem criminis amoliretur, prae caeteris saeva et atrocia in auctorem jactabat. sed una cum vicinis, quaestionibus habendis comprehensus, ad caeteram infamiam, indicio cruenti gladii digitique inter caedem sauciati, servi etiam, quem aliorum facinorum conscium habuerat confessione victus; cuncta ordine aperuit. Quare una cum socio currui impositus, candenti ferro primum laceratus, deinde eadem securi adhuc spirans in frusta concisus est: domusque solo aequata: in cujus ruinis sicariorum capita e furca suspensa. constanter admodum mansuetequee id supplicium tulisse fertur; cum antea contumax, iratusque superis hominibusque extitisset: verbis Joannis Leonardii mitigatus, qui divina qua pollebat facundia ferocem animum fregit; eique ad extremum spiritum adstitit; ambustusque et cruore oblitus ad

suos reversus est. Eo qui sequutus est anno (1), nihil memoratu dignum reipublicae accidit. proximum (2) quatuor mensium continentes pluviae, per autumnum hiemisque initia foedavere: tardamque sementem gravis annona excepit. Aesar adeo exundavit, ut non agros modo stagnantibus aquis late saepius obruerit; sed pontes etiam ad Sextum, ad Quirici, Petrique fana, magna parte convulsos secum traxerit. hoc anno cum Franciscus Florentinorum regulus, Blancam Capellam e veneta nobilitate, a senatu ante adoptatam, in matrimonium accepisset; qui nuptiarum celebritati interessent publico nomine, Nicolaus Mansius et Libertas Moriconus missi.

Rem orientis populis magnaeque Graeciae incolis suetam, Etruriae peregrinam, insequens annus (3) in lucensi agro spectandam miraculo praebuit. Narrabant agricolae circa Decimum oppidum julio mense sub auroram folia arborum melle aspersa apparuisse: quod in pruinae morem nocturno frigore concretum, deinde tepore solis paulatim solveretur. congruebatque anni tempus; peritis ar-

(1) Ann. 1578.
(2) Ann. 1579.
(3) Ann. 1580.

canorum naturae affirmantibus, caelestem eum rorem, sive is sit purgantis se aeris succus, vel siderum saliva, ab exortu Vergiliarum, Sirio praecipue splendente, in terras defluere. nec intra eos fines id miraculum stetit: passimque pluribus aliis in locis lucensis agri caelum similiter irrorasse afferebatur. Novo etiam aegritudinis genere, quod Vervecinum appellavere, annus insignis extitit: nullo fere per Europam ea labe immuni, quae etiam contagio vulgabatur. ob aeris intemperiem acta in caput pituita frigoris vi, deinde in pectus thoracemque defluens tussim ciebat; tussimque febris ardens sequebatur. neque tamen pro affectorum numero mortes fuere. post quartum, quintumve a decubitu diem, morbi vis remittebat; extinctique passim qui potionibus aut venae sectione illi mederi conarentur. saluti praecipue erat generosa vina haurire, quorum calore ac spiritu frigida vis morbi solvebatur. Romae tamen Florentiaeque plures ea peste absumpti: tentatique ea graviter principes viri; Romae Gregorius pontifex, in Sarmatia Stephanus rex mosco bello implicitus: nec alio morbi genere Annam Philippi regis conjugem perisse memoriae proditum est. super ignota capita, perque ea contagio late pervagata, cum fere omnes corripuisset, nonnullos e no-

bilitate Lucae quoque extinxit. Praeter popularem hunc morbum, clari viri supplicium hoc anno civitatem foedavit. fuit is Laurentius Lambertus loco nobili, qui biennio ante Vallis Adrianae praefectura amotus, ob eamque rem patriae iratus, seu vere, seu per intemperantiam linguae, se Pontiti arcem florentino regulo traditurum jactaverat; quod ubi Lucae compertum, evocatus a magistratibus cum se fuga subtraxisset, absens perduellionis damnatus. qui, sive fatis sorti suae illum admoventibus, sive quod crimen purgari posse putaret, cum sponte hoc anno in urbem venisset, cognita causa, securi percussus est. Eum qui successit annum (1) rebus vacuum insequens (2) excepit, emendato per Gregorium pontificem anno memorabilis. cujus cum ea ratio jam inde a Chaldaeis extitisset, qui primi scientia syderum floruere, ut ad exactum solis cursum quo solstitiali circum agitur orbe congrueret, alios intercalario mensi addendo aut demendo dies: post Julii Caesaris, ac deinde concilii Niceni curas, a quibus sive incuria sive in-

(1) Ann. 1581.
(2) Ann. 1582.

scitia posteritatis confusus, ad veterem Chaldaeorum legem revocatus erat; iterum lapsu temporum ita aberraverat, ut solstitia et aequinoctia loco mota, denis diebus post quam fierent, censerentur. Quare Dominicae Resurrectionis diei retinendae religioni, Gregorius, pontifice maximo digna cogitatione suscepta, mathematicorum consilio, quos undique accitos adhibuit, hoc anno demum detractis octobri mense denis, qui irrepserant diebus, cautoque ne in posterum errari posset, kalendarium publicavit. quae res novitate magnam sermonibus materiam praebuit: ignaris talium mirantibus, qua ratione decem anno dies decessissent: romanae vero religionis hostibus, quamquam vero victis, per invidiam criminantibus. tamen ea temporum ordinatio valuit; consensuque generis humani excepta, immortalem gloriam auctori peperit. Hoc anno crescente ambitu, cum aucta florentini reguli appellatione, caeteri Italiae principes novos amplioresque claritudinis titulos usurpassent; patres ad augendam reipublicae majestatem, Vincentio Malpilio decemvirorum principe decrevere; ut deinceps decemviri illustrissimi, senatus excellentissimus, respublica serenissima diceretur. quarum duae priores appellationes sine invidia mansere; tertia posterorum modestia

exolevit. Sequenti anno (1) tumultus cum Mutinensibus renovatus, per Vallicentium ferociam, qui veterum dominorum odio semper finitimis graves, in proxima nostrorum tecta ignem injecerant; nec a nostris cessatum, quin simili clade ulciscerentur. strenua praecipue Lucae Benabiensis opera; qui cum globo quinquaginta armatorum in hostile solum noctu transgressus, Molazanum, Brucianum, Vergemolum, Calominum, Casciumque, Mutinensium oppida incendit: subsidiumque Castellionem ab hostibus obsessum intulit. Hujus motus occasio patres admonuit, ut coeptum muniendae urbis opus prosequerentur: cum mutata militari ratione, vetera munimenta talium rerum peritis parum tuta viderentur, quae tamen novis moenibus jam extructis, ubi ad vetera diruenda manus admotae sunt, firmissima patuere, et acerrimam quamque oppugnationem toleratura. quippe magna pars quadrato saxo aedificata, aut exteriori laterculi coctilis tunica; pars duplici muro, terreno aggeri continendo, subnixa; firmo adeo caementorum vinculo adstricta, ut ferro ignique multum laborandum fuerit, ut solo aequarentur. omissa

(1) Ann. 1583.

etiam ob difficultatem eorum parte, quae adhuc veteris potentiae munitionisque indicium manet. Itaque sequenti anno (1) re ad senatum delata, patres eam jussere. quod opus aetate nostra absolutum, impensa DC. millium et ultra reipublicae constitit. quamquam eam pecuniae summam potuisse utilius ad belli casus conducendo externo militi servari quidam auctores fuissent. urbe contra oppugnationes sufficienter munita: nec diuturnae obsidioni tolerandae, sine externo subsidio civitate ulla per se satis valida. caeterum ea munitione Luca inter celeberrimas Europae arces famam adepta est: praecipue nostra memoria externis etiam munitionibus aggeribusque ac vallo firmata. Hoc anno basilicae martinianae turris bis fulmine icta, magna ex parte corruit. quod prodigium insequenti anno (2) majore etiam periculo renovatum. nam cum ingens ad belli usus congesta in basilicae cameris carbonum vis, caelesti igne incendium concepisset: magnam editura stragem erat, nisi mature subventum foret. tres quoque arae fulmine conflagarunt; damnumque XII. millibus

---

(1) Ann. 1584.
(2) Ann. 1585.

aestimatum. Insequuta paulo inde Gregorii pontificis mors, qui ingenti nominis fama aprili mense decessit. cui paucos intra dies Sistus V. suffectus, humili loco natus, sed qui rerum gestarum magnitudine gloriaque, nulli non pontificum modo, sed augustorum caesarumque concessit. Hic a Lucensium beneficiis principatum auspicatus, decembri mense hujus anni Joannem Baptistam Castruccium nobilem civem in collegium purpuratorum allegit, Theatino sacerdotio auxit, signandisque jus poscentium libellis praefecit (1). Biennio post (siquidem qui duo interfuere anni (2), praeter Francisci Florentinorum reguli mortem, cui Ferdinandus frater romana purpura exuta successit, nihil annalibus dignum tulere) civitas et impii hominis scelere, ac caelesti prodigio, magno animorum motu in divae Virginis cultum religionemque excitata. una e custodiis quae ad portam in suburbia civitatis versam stationem agebant; ut ejus generis hominum mos est, quamquam id lege vetaretur, captata praefecti absentia cum quibusdam commilitonum talis ludere terendo tempori coepit. Inter lu-

(1) Prefetto della segnatura di giustizia.

(2) Ann. 1586, et 1587.

dendum jactu saepius infelici exasperatus, primo jurgari cum collusoribus, inde in Deum divosque convicia, exuta religione, impie spargere. donec jactura ac scelere amens, eo furoris evasit, ut elata dextera, vultuque torvo ac minaci simulacrum divae Virginis in adverso pariete depictum intuens, talos in illud projecerit. affuit tanto furori praesens poena: quippe inter cubitum humerosque brachium statim confractum, eo dolore impium hominem affecit, ut linquente animo inter commilitonum manus mortuo similis collapsus exciperetur. Facinore simul ac caelesti ultione strenue per urbem vulgata, initio ab ejus viciniae incolis facto, populus undique ad portam confluere, cereos facesque ante eam imaginem incendere, diu noctuque frequens adesse; donec vitando tumultu, dum quaestiones ad rem gestam rite cognoscendam haberentur, claudi simulacrum, subtrahique aspectui venerantium placuit. sed motis religione semel mentibus, ubi id in vulgus manavit, omnia querelis impleri; utque vetitis crescit auctoritas, tanto magis multitudo affluere, alii e muris, alii ex agris locum prospectare, in genua procumbere, lumina coronasque afferre, oculos animumque qua licebat explere. cum praecipue aliae atque aliae caelestes opes, in-

vocato Divae nomine, quae in eo simulacro inclaruerat, in malis suis experti vulgarent. Quibus, una cum praesenti aleatoris poena, rite atque ordine cognitis, a senatu simul cum civitatis antistite decretum, ut secta ea muri parte cui picta imago haerebat, ante solemni pompa per urbem delata, in templo D. Petri e palatii regione colenda populo locaretur. Itaque VII. kal. maii, maximo apparatu, universis sacrorum hominum collegiis una cum decemviris ac senatu; infinita praeterea multitudine, quae non ex urbe modo agroque lucensi, sed ex universa Etruria, aliisque circa regionibus ad tantae rei famam confluxerat; cum facibus luminibusque publice simulacrum, pondo V. millium machinae impositum per urbem delatum est: ac in ara maxima ejus templi collocatum, ubi ad hanc diem summa religione colitur. Narrabant jam grandes natu qui interfuere, ad multa mortalium millia passim e cunctis lucensis agri pagis oppidisque, publice cum donis supplicatum venisse; idemque e proximis civitatibus oppidisque factum: nec ulla collegia in urbe fuisse, aut cujusvis generis hominum corpus, quod idem non praestiterit. certe suspensae e parietibus templi tabellae argenteae, lychni pensiles, aliaque donaria, religionem ejus tem-

poris frequentiamque testantur. insigni praecipue senatus magnificentia, cujus impensa altare columnis argenteis fultum extructum est: manetque post nonagesimum quartum annum, quo haec scribimus, in posteris idem erga divam Virginem pietatis sensus: templumque praecipua adeuntium veneratione cultuque celebratur. Tanta pietate ac religione, privati hominis scelus publice expiatum. Eodem religionis studio insequenti anno (1) libertatis ara in martiniana basilica dedicata. Opus sumptu publico, Joannis Bononii manu elaboratum, qui ea aetate, marmore ac aere simulacra effingendi arte celeberrimus habebatur. Aedes quoque summae Trinitati a sodalibus ejus collegii extructa; cujus primum lapidem ceremoniis, rite inauguratum antistes civitatis posuit: stipesque ac metalla in fundamenta ex antiquo more jacta.

Is qui successit annus (2), fame quae universam Italiam misere afflixit, calamitosus ad memoriam posteritatis extitit: tanta cladis hujus acerbitate, ut constet multa hominum millia defectu alimentorum extincta. quorundam etiam cadaveribus, ingestis in os jumento-

---

(1) Ann. 1589.
(2) Ann. 1590.

rum more herbis, miserandum in modum repertis. quare pluribus locis sequuta mox pestilentia, ad LX millia famis reliquias absumpsit. praeter communem calamitatem, proprias etiam Lucenses sensere. quippe junio mense duratam in morem lapidum grandinem, tanto impetu procella effudit; ut corruptis passim frugibus, decussisque vineis olivetisque, anni spem in totum pene abstulerit: quare supra mille familiarum ex urbe agroque inopiae causa in alias terras migravere. quae annonae gravitas consequuta deinde duobus continentibus annis sterilitate agrorum duravit; tam arctis rerum pretiis, ut frumenti modius XIII milii septenis argenteis libris aestimaretur. Sixti pontificis mortem ea clades insequuta, qui hoc anno clarissima nominis memoria decessit. cui patres proximis comitiis Urbanum VII suffecere, paucorum dierum pontificem; utpote qui, cum magnam de se expectationem concivisset, septimo postquam renunciatus est die extinctus est. illi Gregorius XIV successit, ortu mediolanensis familia Sfondrata, Francisci filius; quem post conjugis mortem in collegium purpuratorum adscitum, ob egregia in rempublicam merita senatus civitate donaverat. quem honorem tanti fecisse memoriae proditum est, ut saepius jactaret se du-

plicem habere patriam, Mediolanum natura, Lucam voluntate. Quare ejus filio ad summum pontificatum evecto, patres insueta laetitiae signa publice edidere: continuatis per quinos dies festis ignibus, solemni supplicatione indicta, apertis custodiis, frumento ac pecunia plebi divisa. aucto etiam, ut cum civibus mos est, legatorum numero; qui publico nomine eam illi dignitatem gratularentur. Ivere e principibus civitatis Nicolaus Tuccius, Laurentius Bonvisius, Nicolaus Gilius, Josephus Garzonius: quorum Tuccius humani divinique juris cognitione, eloquentia praeterea et amoeniorum studiorum laude ea aetate celebris, in senâtu purpuratorum orationem habuit. qui inter caetera ingenii monumenta, etiam civitatis res patrio sermone summatim complexus est: prae caeteris qui id ausi sunt dignus qui legatur. Oratores ab optimo pontifice ac cive summa benignitate excepti, auctique honoribus beneficiisque, reditu in patriam cunctos laetitia ac spe majorum implevere: quam brevi decem mensium principatu festinata mors in irritum solvit. alio quoque insigni cive orbata est eo anno civitas. fuit is Flaminius Nobilis, graecis latinisque literis, ac philosophiae studiis, inter ejus aevi sapientum maximos fama celebris. quae publice in claris Italiae aca-

demiis professus, deinde Gregorio XIII ab epistolis; mox a Sixto V sacris bibliis LXX interpretum graecae fidei restituendis adhibitus, quae etiam eruditis commentariis illustravit: editis aliis quoque ingenii monumentis; quibus magno literis, patriaeque ac familiae ornamento extitit. Gregorio Innocentius IX successit, bimestri sacerdotio terris monstratus veluti in hominum summos morte de industria saeviente; quatuor pontificum maximorum funeribus, in angustum XVI mensium spatium congestis. Viduam Innocentii morte christianam rem, lectus Clemens VIII maxima laetitia erexit (1): prudentiae ac sanctimoniae fama, caeterisque quae summum parentem decent virtutibus clarus: cui expectationi cumulate satisfecit. Ad eum salutandum missi Martinus Gilius D. Michaelis antistes, Jofredus Rapondus et Laurentius Guidiccionus. quos benigne exceptos, publiceque in aula ducum auditos in patriam remisit: professus in augusto illo conventu, quibus ipse parentesque ob florentinas turbas domo extorres, beneficiis affecti essent, quo tempore Lucae substitissent: quorum memoria ad referendam gratiam sacro

(1) Ann. 1592.

pectori haereret. nec verborum officiis rerum fides abfuit; nam et societatem a Joanne Leonardio institutam eximie fovit, Romamque accitum templo ac aedibus donavit: ipso Leonardio arduis de religione tractandis negociis saepius adhibito: Bonvisum Bonvisium nobilem civem in numerum purpuratorum legit: componendisque discordiis, quae inter senatum ac regulum mutinensem in arma bellumque eruperant, egregiam operam posuit. Cum novo pontifice redire terris felicitas visa. quippe sequenti anno (1) ubertate arvorum laxata annona, Italiam recreavit: lucensisque ager praecipue omni genere fructuum, labores agricolarum diu deceptos large rependit. felixque omnino exierat annus, nisi palatium de caelo tactum subita flamma conflagrasset. Eum qui successit annum (2) nulla re insignem insequens (3) excepit, geminatis e caelo terroribus minax, quippe januario mense duplex cometes visus; quorum alter major, caudaque in longum protensa ac in duas partes dissecta; brevior alter, crinemque minore lacinia trahens. utrumque asperrima hyems, ac siccitas aeris consequuta. quod utrumque aetate nostra contigit: ingenti frigoris vi, imbriumque inopia

(1) Ann. 1593. (2) Ann. 1594. (3) Ann. 1595.

eum cometem sequutis; qui anno MDCLXXX. ac LXXXI. inter maximos qui unquam fulsere, sextam caeli partem radio complexus, ingenti mortalium terrore conspectus est. Arnus certe hoc anno adeo glacie duratus, ut carris solidum iter daret: inque lacu ad Sextum in Lucensi cursu discoque luderetur: puteique, inauditum antea, gelu concrevere. aliud quoque prodigium is annus tulit; bicipiti puero in curia D. Jacobi edito, altero capite humano, altero bubulo: quae monstra veteribus, sibyllinis libris aditis, aliaque procuratione expiabantur. eo anno cardinalis Castruccius ab aquis pisanis, quo valetudinis causa concesserat in patriam reversus, morbo occubuit. elatus est funere publico ad D. Francisci, ac insigni pompa majorum sepulchro conditus. In magnum discrimen is qui successit annus (1) rempublicam libertatemque, damnosi civis insania adduxerat; nisi placati rebus nostris superi, numine suo illud avertissent. Inseruerat se magno Antelminellorum sanguini, qui jam ante in Castruccii pronepotibus Lucae defecerat, Balthassar; civis alias

(1) Ann. 1596.

egregius, eoque splendore non indignus, nisi Bernardinus filius a patriis virtutibus degener, ejus laudem corrupisset. Hic vanus ingenio, nihilque ad se pertinentis gloriae famaeque venditator, dum per ambitionem Castruccium Franciscumque, ac vetera antelminellae familiae decora animo agitat, etiam modicae qua utebatur fortunae statum perdidit. praeter insitam vanitatem stimulabat hominem indignatio. quod olim ob crimen a republica amotus, nec dominationis, nec libertatis bono fruebatur. itaque honores quibus ipse carebat aliis quoque invidens, prodendae patriae consilium cepit. Praeerat Florentinis Ferdinandus, vir elati animi, et ultra familiae morem ferox: praecipue finitimis Lucensibus asper et contumax; omnemque vexandi eos occasionem avide arrepturus. cum hoc agit Antelminellus, ostenditque si certae sibi conditiones ferrentur, jus imperii quod in lucensem rempublicam obtineret, tamquam Castruccii haeres, qui illa quondam potitus esset, se illi cessurum. his regulus mire laetus, spe ac promissis onerato proditore, ad tabulas ea de re conficiendas illum extemplo impulit. Medius locus vitandis suspicionibus placuit. itaque Antelminellus cum Henrico uno e

liberis Genuam profectus est, quo simul reguli procurator ad condictum affuit. Sed reipublicae bono in scribam incidere, cui religio ac fides pecunia potiores essent. is dissimulato consilio, cum spatium ad conficiendum exemplum cepisset; recta ad magistratus quid in Lucenses pararetur defert. qui sociorum periculo moti, statim Antelminellum cum filio capiendum curavere; missis Lucam citatis nunciis, qui discriminis patres admonerent: quave ratione patefactum discussumque esset. quos paulo inde Antelminelli catenis onerati, acrique custodia septi consequuti sunt. admoti quaestionibus, cum scelus ordine fassi essent, uterque in foro securi percussus; super pulpitum pulla veste constratum, quo poena conspectior esset, bonaque publicata. Eodem supplicio insequenti anno Laelius ac Scipio e liberis alii affecti, quod falsa pietate proditionis indicium celassent: Alexandro qui unus supererat, e Gallia belgica in Britanniam fuga elapso; qui florentini reguli, cujus causa ea clades patri ac fratribus accidisset, favore tectus, exitio subtractus est: ejusque posteri ad opes honoresque in ea insula pervenere: tentato frustra in patriam reditu: quem senatus hujusmodi hominum generi semper in-

terclusum sapienter voluit. quo die supplicium de Bernardino sumptum est, movit praecipue omnium mentes, excivitque intuentium lacrymas juvenis filius; in cujus cervice vulnus nondum obducta cicatrice apparebat, ictu lancis quam in eum pater jecisset, quod super mensam, illum a praecipiti consilio avertere conatus esset. cunctis infelicem juvenem miserantibus, eo loci adductum, ut vel in patrem vel in patriam impius esse cogeretur. Ferunt Balthassarem, ventosum inflatumque filii ingenium, vetera familiae decora retractantis conspicatum, saepius illum fati sui admonuisse; praedixisseque eam vanitatem capite illi quondam constituram. sanum ac salubre consilium, si quae fato manent etiam praevisa vitarentur. Illud certe turbidum ac res novas ex alto moliri aggressum ostendit; quod explorandis in se civium animis excogitaverat. extructum illi in villa ad Columbani fanum conclave cum cameris erat, ea arte ut suppressa etiam de industria vox, tectorii levitate facile exaudiretur. in eam ad liberalitatis ostentationem nobiles invitabat, lauteque ac splendide acceptos, in id conclave noctu quieturos deducebat. interim ipse in superiorem partem ascendens, quod solus nosset, caete-

ros falleret, in fastigio camerae spiramentum ad eos usus relictum, gypsea tessella exempta reserabat: sermonemque hospitum, ut fit, ante somnum colloquentium aure admota sollicite excipiebat. qui cum ea securitate quam et nox, et solitudo, et ignoratio insidiarum faceret, animos non minus quam corpora nudarent: inde Antelminello alios tamquam fidos complectendi, alios ut suspectos cavendi ratio. quod callidi hominis inventum praesens recognovi, cum a cive longe dissimili Bartholomaeo Bottinio ejus villae possessore, ac in potiorem cultum reparatore, apud eum diversanti monstraretur. Annum detecta conjuratione reipublicae felicem, caritas annonae Italiae universae communis, pluviaeque per sex fere menses continenti diluvio foedavere. igneus quoque cometes ardere in caelo visus: magnique terraemotus extitere: quibus praecipue quassata Ferraria, compluribus aedificiis aut ruina lapsis aut hiatu terrarum absorptis; ingenti mortalium terrore, cum etiam hiantibus terris, insueti ac terribiles mugitus ederentur. Nec tribus insequentibus annis, qui saeculum a Christo nato decimum sextum clausere, quidquam praeter publicas calamitates memoria dignum tulerunt; nam et priore immodicis nivibus necatae fru-

ges famem auxere (1): quae etiam majore clade saevisset, nisi solerti patrum cura, taxatis rerum pretiis, privatorum avaritiae obviam itum foret. altero magnae fluminum inundationes extitere (2). Aesar aggerem transgressus, ad portas civitatis, late obrutis agris pervenit. Tiberis quoque Romae inundavit; quae prodigia Philippi secundi Hispaniarum regis mors consequuta est: prudentia sapientiaque ac regnandi artibus omnis aetatis maximi. ei tamquam reipublicae patrono, in basilica martiniana publice parentatum.

Quae ex eo tempore usque ad nostram aetatem per tres et octoginta annos, prospera aut adversa reipublicae evenere, uberem scripturis materiam sufficient. Intra id tempus bis cum Mutinensibus bellatum, armisque in feroniensi provincia jus assertum. semel pestilentia laboratum, vulgatisque praeterea novi generis morbis pene plus quam pestilentia viduata iterum civitas. fames, ob immodicos imbres impeditis sementibus imminens, caelesti prodigio depulsa: nec interim aliis atque aliis

(1) Ann. 1597.
(2) Ann. 1598.

annis sterilitate agrorum minor clades accepta. bis cum antistibus graves discordiae exercitae; clarorum virorum ob id carceres et exilia: diraeque et interditio sacrorum, magno civitatis malo. quippe ex eo inclinatio morum facta, ac disciplinae solvendae initium. inde legum inscitia aut contemptus, superbia nobilitati, feminis licentia, vestium conviviorumque luxus, ac caetera (quod dii omen prohibeant) morientis libertatis indicia. Inter haec mala quatuor cives romanae purpurae dati, plures literarum aut sanctimoniae gloria florentes; libertas etiam imminuta verbis, acri ultione vindicata; nobilium licentia tabellaria lege coercita; ambitioni privatae modus impositus. Germani ad palatii custodiam acciti; purpurei galeri decus custodesque corporis principi decemvirorum cum collegis prodeunti additi; pomaerium prolatum; exteriori munitione moenia circumdata; civitas aedificiis templisque ornata; principes viri, interque eos Christina Svecorum regina hospitio excepti; plebs urbana atque agrestis, publica liberalitate non semel adjuta; vicinorum fames apertis horreis levata; interque tot Italicarum rerum motus pax et otium servatum; Christus aurea corona gemmis ac unionibus gravi im-

posita, in regem adoptatus. quibus olim memorandis clara ingenia non deerunt, quorum libertati praesentium metus, aut adulatio non officiet.

FINIS.

NOMENCLATURA GEOGRAPHICA

LOCORUM

QUÆ IN ANNALIBUS LUCENSIBUS

MEMORANTUR



A	A
Aginulphum oppidum	Aghinolfi
Apua opp.	Pontremoli
Aesar flumen	Serchio
Auser flum.	Osari
Ania flum.	Ania
Alpes Lucenses	Le Alpi di Lucese
Apuana petra	Pietra pana

B	B
Bondicomagum opp.	Casalmaggiore
Bujanum opp.	Buggiano
Bura flum.	Borra
Bonitium opp.	Poggibonzi
Bicuca opp.	Bicocca

C	C
Catinum opp.	Montecatini
Cerrulium opp.	Il Cerruglio
Capetianum pagus	Capezzano
Calvolum opp.	Monte Calvoli
Cocilium opp.	Cozile
Campus Major	Camajore
Chinsica	Parte della città di Pisa, ove abitavano i mercanti mori

F	F
Fanum Cassiani opp.	S. Casciano
Fanum Viti pagus	S. Vito
Fanum Feroniae opp.	Pietra Santa
Feroniensis Provincia	Carfagnana
Fossae Papirianae opp.	Viareggio
Fanum Mariae ad montem opp.	S. Maria a monte
Forum Clodii opp.	Collodi
Forum Allieni urbs	Ferrara
Fosdinovum opp.	Fosdenovo
Falconium opp.	Monfalcone
Forum novum opp.	Fornuovo
Fanum Gervasii opp.	S. Gervasio
Fanum Crucis opp.	S. Croce di Val d'Arno
Fanum Voltumnae urbs	Viterbo

G	**G**
Gallena opp.	Il Galleno
Guissiana flum.	la Gusciana
Gravis flum.	Greve
H	**H**
Herbanum urbs	Orvieto
I	**I**
Ignosum opp.	Mont' Ignoso
Januarium opp.	S. Gennaro
Ilcinum urbs	Montalcino
Jugulum opp.	Giogoli
L	**L**
Luna urbs	Sarzana
Lacus Sextinus	Lago di Sesto
Lacus Phocensis	Lago di Fucecchio
Lacus Tyrensis	Lago di Bolsena
Lnmbricum opp.	Lombrici
Lericianum opp.	Lerciano
M	**M**
Montravantum opp.	Montramito
Morecium opp.	Monte Morecci

Montaria opp.	Montaja
Mons Regius opp.	Montereggioni
Miniate opp. nunc urbs	Saminiato
Mutro opp.	Motrone
Maenaria insula	Meloria

N	N
Naevula flum.	Nievole
Nuptianum opp.	Nozzano
Neoburgum	Borgonuovo
Novocastrum opp.	Castelnuovo

O	O
Ossa flum.	Fiore aliis Albenga

P	P
Portus Herculis Labronis	Livorno
Paludes Sextinae	Paduli di Sesto
Palaria opp.	Palaja
Planetulum opp.	Pianettoro
Politianum urbs	Montepulciano
Phocenses opp.	Fucecchio

Q	Q
Quiesa pag.	Chiesa

R	R
Rotarium arx	Rotajo
Rosetum urbs	Grosseto

S	S
Serra	Serravalle
Summanum opp.	Monsommano
Serralium vel Seravicia	Seravezza
Stinianum opp.	Stignano
Scaprae	Scarlino

T	T
Topalsium opp.	Altopascio
Toporium opp.	Montopoli
Titianum opp.	Tizziano
Tyrensis Lacus	Lago di Bolsena

V	V
Vallis ad Naevulam	Val di Nievole
Varianum	Vajano
Vada Sabatia	Savona
Vivinaria opp.	Monte Carlo

INDEX LIBRORUM

QUI IN HOC OPERE CONTINENTUR

VOLUMINIS TERTII

ERRATA			CORRIGE
Pag.	lin.		
12	5	jacendaque	jaciendaque
13	20	quorum	quarum
33	15	Fidem	Eidem
99	23	mortem	morte
121	23	homibusque	hominibusque
136	18	pernicem	perniciem
152	20	lancealiorom	lanceariorum
190	8	abire	abiere
218	4	efferrati	efferati
234	12	fiscu	fisco
ibid.	19	Benedtctum	Benedictum
267	22	conscentia	conscientia
270	22	conjugeretur	conjungeretur
ibid.	24	animo	amico
275	22	adversis	adversi
277	1	affiixit	afflixit
294	19	dynatae	dynastae
298	7	adolescientiam	adolescentiam
348	20	Si una	Ii una
ibid.	24	annon e	annonae
358	25	jacientium	jacentium
362	3	S. P.	S. C.
429	6	capere	caperet
452	6	millium	militum
460	3	Jacopo	Jacobo

Z

VOLUMINIS QUARTI

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
46	4	contuleret	consuleret
57	25	injerat	inierat
82	13	seditionis	seditiosis
96	22	arbitriun	arbitrium
103	10	veteres	veteris
128	1	obstrincti	obstricti
216	4	conferte	confer te
252	12	illlius	illius
275	22	aflatus	afflatus
353	17	artamque	arctamque
382	3	formentariae	tormentariae
399	7	Cosmus	Cosmum
403	5	Injerant	Inierant
ibid.	17	a	at
405	1	obhortae	obortae
406	20	. Itaque	; itaque
411	3	Castellinenses	Castellionenses
414	1	aurae	aureae
ibid.	3	caerimoniis de-	caeremoniis de



